UNIVERSITÄTS BIBLIOTHEK WUPPERTAL
BERGISCHE UNIVERSITÄT WUPPERTAL

Universitätsbibliothek Wuppertal

Danielis Chamieri Delphinatis Panstratiæ Catholicæ, sive Controversiarvm De Religione Adversvs Pontificios Corpvs.

Tomis quatuor distributum. : cum indicibvs necessariis.

De Deo Et Dei Cvltv

Chamier, Daniel

Frankfurt, 1627

Liber tertius, De authore peccati

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.
Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

urn:nbn:de:hbz:468-1-914

Visual Library

potest. Nam quis me vetat interpretari, *Vidit lucem quod esset bona:* de illa luce, quam præuiderat, & intellectu conceperat, ac proinde cuius causa erat ea præuisio, isque intellectus?

XVI. Cæterum, quum Deum, vt est, nosse non possimus: ideo accommodate ad captum nostrum, cogimur in eo distinguere, quæ reipsa sunt eadem. Inde varia Dei attributa nominantur: interq; ea scientia, & voluntas. Nam certe si in Deo nulla est cõpositio: Si est Deus simplicissimus actus: necesse est scientiã esse diuinam essentiã: voluntatem similiter esse diuinã essentiam; vt definiunt et Scholastici Theologi. Quod si est, aut in diuina essentia diuersitas erit, quod est blasphemum; aut re idem erit scientia & voluntas. Sed ἀνθρωποπαθῶς distinguuntur: vt quemadmodum in nobis, sic in Deo, hanc illa præcedere intelligatur. Hoc modo tolerari possit, si quis dicat, scientiam Dei, per se, hoc est, abstractam cogitatione ab eiusdem voluntate, non esse causam rerum. Sed, cum certum sit, nunquam rem ipsa, separari alteram ab altera, omnino nisi absurde dici nequit, quarundam rerum causam esse præscientiam, aliarum vero minime. Non enim iam illa erit abstractio per cogitationem: sed re vera ponetur aliquid reale: ac tum non distinguas, sed separes voluntatem à scientia: id est, essentiam ab essentia. Itaque ab æterno Deus, non tantum præsciuit, sed & voluit esse bonam: ac propterea fuit bona. Vterque igitur locus de eadem Dei scientia loquitur.

XVII. Petri locus, ex posteriore, absurde citatur; Quæ enim analogia præscientiæ fidelium ad præscientiam Dei? Aut quæ ratio fert, vt quia fidelium præscientia oritur à rebus, quanquam id non est perpetuum, aliquando enim à reuelatione; vt hęc ipsa, de qua Petrus: sed si fidelium præscientia oritur, quæ fert ratio, vt & Dei indidem oriatur? Atqui fideles vere sunt momentis obnoxii temporum, quod de Deo non fingunt, nisi ἄφρονες.

XVIII. Alter ex priori, non magis vrget. Nam certum est, Christum esse non simpliciter præscitum, sed etiam ipso consentiente Sanctesio, prædestinatum: nec aliam summam causam fuisse ei nascendi, quam Dei voluntatem. Non igitur concludit geminam illam præscientiam. Nec obstat illud, *manifestati*, ex quo comparato cum *præcogniti*, putat posse concludi, Petrum tantum intellexisse occultam Dei præscientiam. Enimvero, quam mihi ille dabit Dei præscientiam non occultam? Si occultam nobis dicat. Nam si Deo; quam mihi ille occultam dabit? Tum autem Petrus dixit manifestatum, non propter Deum, sed propter nos. Significat ergo, Christum, qui erat præscitus à Deo, atque eatenus mundo incognitus; tandem reuelatum fuisse; vt cognosceretur à mundo. Quare ea reuelatio, nullam in Deo, aut cognitionem, aut scientiam, aut præscientiam efficit: sed in hominibus. Ideoque etsi reuelatio sit temporalis, tamen nullo modo præscientia temporalis. Paulus ad Titum 1. *In spem vitæ æternæ: quam promisit Deus ille mentiri nescius, ante tempora secularia, patefecit autem temporibus suis.*

XIX. Denique præscientiam Dei à rebus oriri, absurdum est. Primo, quia iampridem definitum est etiam à Theologis Scholasticis, Deum scire omnia, non sicut homines ex aliqua animæ potentia, sed per essentiam suam. Est autem immane asserere essentiam Dei oriri à rebus creatis. Deinde, cum sit probatum, vnam esse Dei præscientiam, quæ aliquando abstracte ab eius voluntate consideratur à nobis, aliquando cum ipsa voluntate, vt fiat decretum: vtrouis modo consideres, tolerari hoc absurdum nequit. Nam si vna cum voluntate, tum præscientia Dei causa est rerum, quod fatetur Sanctesius in altera suæ præscientiæ specie: itaque non potest oriri ab iis rebus, quæ ipsæ oriuntur ab ea. Sin abstracte: tum intelligitur præcedere voluntatem: 8. ad Rom. ὃς προέγνω καὶ προώρισεν, *quos præsciuit, etiam prædestinauit* Quod si voluntas, vtpote causa rerum, à rebus pendere nequit; tum certe, ne scientia quidem, à qua pendet ipsa voluntas. Nam si scientia pendet à rebus: & voluntas pendet à scientia, omnino vitari non potest, quin voluntas pendeat à rebus.

XX. Septimo, quæritur primo, vtrum Deus futura præuideat, quæ ab eo non pendent immediate. Secundo, vtrum exacte præsciat futura contingentia. Respondet ad primum: Quandoquidem, secundum illud præscientiæ genus pendet à rebus, non contra: ergo à Deo res non videri, nisi eo statu quo sunt: ideoque priusquam re ipsa existant. Ecclipsin igitur, quæ nondum existit, cognoscit in cursu astrorum: ab æterno tamen, quia ipse astrorum cursus ab æterno est in eius intellectu. At secundum: nullam esse certam scientiam futurorũ contingentium, neque in Deo, neq; in hominibus priusquam existant. Præuidet quidem ille ab æterno quatenus ei sunt præsentia: præuidet, inquam, causarum statum contingentem: at non determinate præuidet, quid ex iis futurum sit, nisi ab euentu.

XXI. Immane quantum sibi permittat humana balbuties in scrutanda, imo vero metienda infinita essentia! Enimvero, quis non indignetur eos, qui in iis quæ ante pedes sunt, tam multa se ignorare fateri coguntur, adeo confidenter pronunciare de Deo? Scilicet eiusdem generis erit ea scientia qua Deus, cum ea qua Ptolomæus, aut nostro seculo Copernicus præuidit Eclipses futuras: acquisita ex subtili exactaque orbium contemplatione; graduumque atque scrupulorum suppuratione, Eo tantum diuersa; quod quemadmodum ante Copernicum, Ptolomæus aliquot seculis: sic ante Ptolomæum, Deus omnibus seculis Ephemerides concinnarit. Apage blasphemias. At Catholici certum, exploratumque habent, Deum nihil nosse, nihil scire, nisi per suam essentiam. Itaque scire ab æterno, scire certe, determinateque omnia, etiam contingentia. Exemplum. Liberandus fuit populus à Babylonica captiuitate: nec liberandus, nisi suo tempore: id prædictum tam certe, tam determinate, vt etiam nomen liberationis expressum sit, Cyrus. Potuit quicquam minutius? aut magis contingens? Respondeat Sanctesius: respondeat, inquam, nam negabo: vtrum non sit in contingentibus, futurum aliquem eiusmodi Regem; liberaturum populum Israelis: futurum ei id nominis. Iam si est, respondeat iterum: vtrum non sit determinate, præciseque cognitum, id quod suis etiam minutissimis circumstantiis describitur. Ipse Deus, Esaiæ 45. *Vt cognoscas me Iehouam, qui voco te nominatim, Deum Israelis esse. Propter seruum meum Iacobum, & Israelem electum meum, propterea me vocasse te, de nomine tuo cognominasse te, quamuis ignores me.* Quid Ioannem Baptistam dicam; aut ipsum etiam Christum? nihil enim vnquam præsens, tam curiose descriptum & determinatum.

XXII. Quanquam, quid exemplis opus est? Nam ratio sufficit; concedit Sanctesius, Deum præscire omnia ab æterno, tanquam præsentia sibi. Ergo, inquam, primo, nouit determinate: sic enim solent præsentia cognosci, etiam ab hominibus. Rursus ergo, non in causis tantum. Nam, quæ in causis sunt tantum, ea sunt in potentia solum: at quæ præsentia, ea sunt actu. Si ergo omnia sunt Deo præsentia: omnia, Dei quidem respectu, sunt actu: si actu, non tantum in causis. Certa igitur est, & determinata apud Deum, rerum omnium contingentia.

FINIS LIBRI SECVNDI.

LIBER TERTIVS,

DE AVTHORE PECCATI,

Caput I.

CATHOLICI NON DICVNT DEVM AVTHOREM PECCATI.

CONTROVERSIA sequitur de Authore peccati: in qua declamant Papistæ acerbissime contra Catholicos, suo more, vt sunt calumniatores magis importuni, quam disputatores metuendi. Scriptis tractarunt Bellarminus, Sanctesius, Panigarolla, Haius, Bosius, Richeomus, Gautierus, Cottonus, alij. Quotidie in pulpitis plurimi ad plebem attonitam. Vix enim quisquam est, aut tantus Iesuita; aut tantus Iesuitaster; aut ex alio ordine quoquam, qui suggestum conscẽdens, satis se suas in concionando partes expleuisse putet, nisi garrulitatis, impudentiæque partem maximam in hanc partem profuderit. Et ne solos Philistæos, hostes patiatur Ecclesia, addunt se comites Idumæi ex Germania; vt patet, cum ex Heshusij calumniis, quas abstersit Beza, tum ex colloquij Mombelgardensis actis. Item ex impudentissimi hominis Samuelis Huberi Antibellarmino, libri 4. par. 5.

II. Clamitant ergo à Catholicis fieri Deum authorem peccati: maxime Caluino, Martyre, Beza: hos enim docuisse, illum authorem esse omniũ scelerum, & flagitiorum: Bellarminus præfatione in controuersias; & quidem ita authorem, vt cor hominis impellat & incitet ad malefaciendũ: adeo vt incestus Absalomis vere fuerit illius opus, Hayus q. 138. Iam Panigarolla, discep. 8. Deum esse mali omnis authorem: Deum esse omnis peccati causam, Deum culpis nostris delectari: Deũ ad scelera petranda nos cogere: frustra à nobis tempus cõteri, conari frustra nos aliquid boni facere: Deum n. prohibere, quibuscunq; grauissimis vitiis cumulati simus, ad illa omnia nos à Deo impelli. Deũ è cœlo in terrã descẽdisse, vt peccandi necessitatem inferret: eo Euangelium dedisse, vt nos præcipites ageret. Denique Deum tam amantem esse, tam cupidum nocarum, & erratorum nostrorum, vt nobis prudens sciens legem dederit, quo peccemus. Quid plura? Bozius de signis Ecclesiæ, libri 3. c. 5. Deus vult efficienter, & efficaciter, non modo omnia peccata diaboli, sed & hominum: non modo vult efficaciter & efficienter; sed ipse illa efficit per diabolum, & homines: imo concitat & commouet diabolum & homines ad peccata: amplius, impios ad peccandum destinat, & cogit. Vasques tomo 1. in 1. secundi disp 129. Deum non tantum permissiua voluntate, sed etiam actiua, esse causam propriam peccati nostri, Deum necessitate plusquam fatali nostras voluntates ad peccatum impellere.

III. Atrocissima est, vt vident omnes, accusatio, si acculatio; & non calumnia. Non potest iis blasphemiis, quas illi iam recitarunt, dari vlla maior, tetrior, magisque horrenda blasphemia. Nam infinitam esse eorum insaniam, qui apertè Deum negant, iampridem fatentur omnes, quibus vel sola natura duce, viuere contigit. Horum crimini, crimen hoc

hoc æquale quis non dixerit? Perinde enim est, si hominibus persuadeas alterutrum, quum eadem effecta consequantur. Iudicem certe Deum, nemo magis speret, qui credet esse mali authorē, quā qui omnino nullū. Itaque, si Caluinus, si Martyr, si Beza, si nostrum quisquā tam detestandæ hæreseos, siue author, siue fautor est, nihil caussæ dicimus, quo minus pro meritis tractetur: si vero innocentissimos viros constiterit fœde lacerari conuitiis, quam pœnam eos oporteat subire, à quibus adeo malitiose tractantur? Nos quidem illis mali nihil imprecabimur: sed à Deo potius illis pœnitentiam seriis precibus postulabimus.

IV. Sed omnes Catholicos sua verba satis superque tuentur, ex articulo 6. Confessionis Gallicæ, *Negamus illum esse authorem mali, aut eorum quæ perperam fiunt, vllam culpam in ipsum transferri posse: cum ipsius voluntas sit summa & certissima omnis iustitiæ norma.* Hæc nostrum omnium verba sunt: hæc nostrum omnium fides. Quid ergo calumnias colligunt? imo, quid sententiolas mendicant hinc inde truncatas, contortas, peruersas? Non sunt illis videlicet bonorum virorum formulæ solemnes.

V. Sed enim Caluinum, Martyrem, Bezam sua plene purgabit tum docendi ratio, tum vita. Nam Caluini & Bezæ vitam inculpatam fuisse, non aliunde magis probem, quam ex aduersariis, qui grauissimarum calumniarum, quibus eam onerant, testem nullum habent nisi Bolsecum: Bolsecum autem cum nomino, non Ecebolium duntaxat intelligant cordati viri: sed si quid Ecebolio peius esse potest: qui cum vere profanus ferre non posset, imo potius, quem cum vere profanum ferre non posset veritas: infamem se hominibus, exosum Deo publica apostasia declarauit. Huius impudentissima mendacia Sophistæ colligunt, non aliter quam grauissima amplissimi viri testimonia. Non aduertentes in ea Caluinum, & Bezam Republica vixisse, & esse mortuos, in qua diligentius, seueriusq; iam pridem puniuntur ioci leues, quam apud Papistas parricidia & incestus. Et in hac illi Republica vixissent omnibus grati, Magistratibus chari, si turpiter vixissent? Aut poterant illi non turpiter viuere, qui tam turpiter crederent, omnis turpitudinis esse authorem Deum? Nec Martyris apud eos, cum quibus vixit, minus illustris fuit pietas.

VI. Sed non agam præiudiciis. Ipsa illos potius docendi ratio tueatur; qua concionando; qua scribendo. Certe Caluini quotquot extant conciones (extant vero plurimæ) totidem exhibent imagines antiquæ illius grauitatis, qua tum Prophetæ, tum Apostoli, tum Apostolici viri, suos populos auertebant à peccatis; iam grauibus hortamentis, iam vehementibus obiurgationibus, iam tremendis diuini iudicij comminationibus. Bezæ homiliæ pauciores editæ: in Canticum canticorum: in passionem & resurrectionem Seruatoris. Sed quis legat, qui non miretur odium peccatorum? Qua fronte ausi vterque, si Deo volente, iubente, mouente, cogente, amante, probante, nequissima quæque fieri solennis esset illorum fides?

VII. Sed scripta eorum potissimum Sycophantæ traducunt: & esto sane, ex scriptis eorum fiat iudicium: Atque hic eo diligentius nobis insistendum, quo animosius hanc calumniam exagitarunt, non Sanctesius tantum in Atheismis Caluini, quos vocat; & Hayus contra Chambrunum: sed etiam Bellarminus 2. controu. tomi 3. lib. 2. integro: & Richeomus in Idololatria Hugonotica lib. 3. c. 12. ac seq. aliq. Primus Sanctesius hanc litem mouerat, sed eius impudentiam Beza ita compressit, vt mirum sit postea suos habuisse sequaces, nisi nihil indignum esset aduersariis Euangelij.

VIII. Enimuero negari non potest, hanc ipsam blasphemiam, quam illi nunc impugnant, seuere à Caluino fuisse in Libertinis & damnatam, & confutatam; scripto aduersus eos libro. Ij vnicum agnoscebant Spiritum immortalem, qui sit ac viuat in omnibus ac singulis creaturis, efficiatq; omnia: adeo vt quicquid in mundo fiat, id opus ipsius directe censendum sit. *Hoc concesso* (inquit Caluinus c. 13.) *imputandum esset Deo peccatum: aut concludendum, nullum in mundo peccatum fieri; cum nihil sit, quod non fiat à Deo. Sic omne boni ac mali discrimen tollitur: vnde sequeretur, nobis non licere aliquid vt malum vituperare, cum omnia sint opera Dei: licebitque hominibus, veluti laxis habenis, quicquid in mentem venerit, peragere: non solum quia sumus extra periculum peccandi: sed etiam quod desiderium aliquod cohibere sit impedire Deum.* Et c. 14. *Temulenti isti, à Deo fieri omnia perstrepentes, eum mali authorem constituunt. Deinde, quasi immutetur mali natura, quum sub hoc nominis Dei velo tegitur, bonum esse affirmant. In quo atrociore, & sceleratiore contumelia Deum afficiunt, quam si potestatem ac iustitiam ipsius alio transferrent. Quum enim Deo nihil magis proprium sit quam sua bonitas, ipsum à se abnegari oporteret, & in diabolum transmutari, vt malum efficeret quod ei ab istis tribuitur. Ac certe istorum Deus, idolum est; quod nobis execrabilius esse debet omnibus gentium idolis.* Non possent ardentissimi isti Sycophantæ, quum omnes suas artes colligerent: non possent, inquam, acrius, durius, seuerius hanc blasphemiam παραδειγματίζειν.

IX. Haud aliter Martyr, in 1. librum Regum, c. 22. agens ex professo de hac quæstione; expatiatus, data occasione, vt solebat, in locum communem. *Sciendum est, si proprie, ac simpliciter loquendum sit, Deum non esse peccati causam: quia summe bonus est, & ab eo non proficiscitur nisi bonum: peccatum vero odit, & prohibet, nec non grauissime punit. Nec illius causa extra nos quærenda est: quia tantum habemus corruptionis, ac deprauationis insitum, vt non oporteat, Deum instillare malitiam ad id, vt peccemus.* Idem in Iudices c. 2. *Quid igitur? An Deum causam peccati dicemus? Minime, si proprie loqui velimus.* Si proprie, inquit: hoc est, propria peccati appellatione, siue peccatum, quatenus peccatum est. Nam alioquin potest improprie; vt alias videbimus; nempe in sensu diuiso, vt loquuntur Scholæ. Quemadmodum Prouerbiorum 16. dicitur fecisse impium: non certe quod hominem effecerit impium creando: sed quia eum creauit, qui est impius.

X. Haud aliter Beza de æterna Dei prædestinatione, contra Sebastianum Castellionē. *Ostende quæso, si potes eiusmodi esse, vel Caluini, vel cuiusquam nostrum mores, vt vel minima in nos eiusmodi blasphemiæ suspicio cadat. Neque enim leui alicui vitio, vel crimini affinem eum esse oportet, qui omne boni, & mali, turpis & honesti discrimen tollat: sed omnibus semel sceleribus deditum & in omni flagitiorum genere, deposito omni pudore, insigniter exercitatum: adeo quidem, vt διάθεσις, quod aiunt Logici, in ἕξιν transierit.* En tibi quo eos loco habeat qui sibi fingunt (si tamen quidam fingunt) Deum esse authorem peccati. Iterum eodem libro, in aphorismis. *Non tamen consequitur ex istis, vlla istarum blasphemiarum: nempe, vel Deum esse authorem peccati siue delectari iniquitate, aut etiam velle iniquitatem: vel satanam aut impios male agendo, obedire Deo: aut quatenus male agunt, sincere quod Deus vult agere, ac proinde esse extra culpam. Absint vero quam longissime omnes eiusmodi blasphemiæ, non tantum à linguis, sed etiam à cogitationibus nostris.* Et paulo post, *Nec valet consequutio: Deus omnia efficit, ergo peccata etiam facit. Nam peccati nomen, non nisi vitiosæ qualitati conuenit, quæ tota est in agente instrumento.*

XI. Hæc ita fuisse ab illis scripta, negare non possunt Sycophantæ. Quid igitur deest ad plenam purgationem? aut quid Sycophantis superest quod prætexant? imo vero, vt serpentes hærent dentibus: & ne laceri quidem abstinent à vulnere. Latrant, cum sibi vident hæc opponi, Caluinum sibi ipsi contradicere. Ita Sanctesius. Ita Hayus. Ita Richeomus. Id vero quid est? extremæ desperatæque improbitatis argumentum euidentissimum, vt extremi desperatique morbi, quum medicamenta in venenum conuertuntur: hoc adeo inde est, quod nihil sciunt, imo potius nihil volunt distinguere: & cum certo apud se constituerint Caluinum, si possint, calumniis opprimere, quandoquidem veris criminationibus desperant; ideo, si quid offenderint non satis ad suum palatum: frustra interpreteris, frustra distinguas, frustra quiduis agas: illis vnum solenne: blasphemauit, blasphemauit.

XII. Illi vero, aut serio conuertantur: aut si sunt obstinati, Deus prouiderit. At modesti homines considerabunt, Caluino, aut Bezæ nullo loco scriptum assertumue, Deum esse peccati autorem; tantum hoc Sycophantas id elicere certis ex locis. Considerabunt item à Caluino, à Beza negari huius illationis consequentiam. Bezam audiuimus. Caluinus libro de æterna Dei prædestinatione. *Ergo, cum iusta de caussa licet nobis ignota, à Domino procedant, quæ sceleratis ab hominibus maleficia perpetrantur; etiamsi rerum omnium prima caussa sit eius voluntas, peccati tamen eum esse autorem nego.* Et paulo post. *Turpi quidem & illiberali calumnia nos grauant, qui Deum peccati autorem fieri obtendunt, si omnium, quæ aguntur, caussa est eius voluntas. Nam, quæ homo iniuste perpetrat, vel ambitione, vel auaritia, vel libidine, vel alio quouis prauo affectu incitatus, quum Deus iusto, licet occulto iudicio, per manum eius faciat, non potest in eum quadrare peccati nomen.* Iam nemo audiuit, inquam, sibi quenquam contradicere, cum consequentiam negat antecedentis à se sumpti. Quid enim? Si, Catholicis olim negantibus Deum esse autorem peccati, & tamē negantibus à se propterea duo principia constitui: ex his, inquam, aliquis obiecisset ipsos sibi contradicere? Næ ille non fuisset inter sanos numeratus.

XIII. Certe aut Vasquem oportet hac parte damnari; aut Caluinum, nosque omnes absolui. Ponit ille concurrere Deum ad actum peccati, secundum rationem & subiectum operationis, nec esse tamen caussam peccati, secundum formalem rationem culpæ: nimirum, quia distinguenda sit causa naturalis & moralis: concursum illum fieri per modum causæ naturalis; at non per modum causæ moralis: peccatum autem secundū peccati rationē esse à caussa non naturali, sed morali. Hæc inquā, si vana sunt, damnetur Vasques, damnetur Soto, & Canus, à quibus habuit Vasques: sin autem sana sunt; cur non absoluatur Caluinus? cur non Martyr? Nam qui Deum asserunt peccatum odisse, prohibere, seuerissime punire; nonne iidē negāt esse eius causam moralem? Sed profecto αὐτοπάθεια ὅλως οὐχ ὁρᾷ.

Cap. II.

Sententia Catholicorum.

I. Etsi sua professione satis purgati sint Catholici, tamen altius est totum negotium considerandum. Docuit Caluinus, imo docent quicunque Catholici, prouidentia Dei omnia gubernari: nec tantum, quæ bene, sed & quæ fiunt pessime. Gubernari autem, non tanquam spectatore Deo, vt qui ludos olim edebant, apud Græcos χορηγοὶ, & apud Romanos Aediles: Sed μετὰ τῆς ἐνεργείας, cum certa efficacia, quæ moueat caussas singulas, cum subalternas, tum infimas, easque impellat ad agendum. Hæc sententia Caluini ὅλως considerata Eam ille multis disertisque Scripturæ auctoritatibus, firmis rationibus, illustribus Veterum testimoniis, ita fulsit, vt nullus metus sit, ne à Sycophantis labefactetur. Nunc tamen illud de rebus male gestis caput arrodunt: itaque explicandum.

II. Primo distinguendū. Dici. n. peccatum alias abstracte: alias cōcrete, Abstracte pro ipsa ratione, siue mauis, formalitate peccati: concrete, pro singulis actibus peccati; vt homicidio, adulterio, furto: non simpliciter, quatenus habent rationem peccati: sed concrete, quatenus fit hoc aut illud, cum ratione peccati. Itaque necessario rursus distinguendæ actiones à qualitatibus, & statuendum nullas actiones esse per se ipsas peccata: sed tantum qualitates: hoc est: non quia fiunt, sed quia male fiunt. Sic homicidium proprie quatenus actionem significat, est actio: qua homo occiditur. Ea ratione non est peccatum per se: alias nullus vnquam homo occideretur, vt non peccaret ille qui occideret. Quod contra est. Nam & Deus occidit Onam Genes. 38 & Dauid Goliathum: & Magistratus quotidie in crucem sceleratos agunt, absque vlla ratione peccati. Ergo, si homicidium aliquando non est peccatum, necessario sequitur, aliam esse homicidii rationem, aliam peccati.

III. Iam actionum duplicem, ex qualitate, & quidem non naturali, sed ethica, distinctionem esse: nempe, vt aliæ bonæ sint, id est, virtutes, nempe, quæcunque fiunt secundum officium: aliæ malæ, id est, peccata, nempe quæcunque contra officium; omnibus notum, non sanioribus tantum Theologis, sed etiam Ethnicis Philosophis: imo, vt ita dicam, omnibus, præter pauca fortasse hominum monstra; quæ repugnante natura, repugnante etiam, credo, propria conscientia, omne vellent extinctum boni malique discrimen. Sed Catholicis saltem, & Papistis, in hoc capite nulla controuersia.

IV. His positis: iam sic Catholici docent. Actiones omnes ita esse ad

Dei prouidentiam referendas, vt nulla admittatur bonarum, malarumve exceptio. Et quia de bonis facile negotium, vix eontradicentibus Papistis, de malis sibi diligentius agendum Caluinus putauit, vt has ipsas ἐνεργείας à Deo esse doceret, collatis plurimis Scripturæ locis; tum iis qui Thesin docent, tum iis qui eandem applicant singularibus actionibus malis. Sic enim Iobum, cum sibi audiret sua perisse furto latronum, dicere *Deam abstulisse, qui dederat.* Sic Dauidem, cum sibi audiret præsenti, videntique Semei maledicentem, respondere, *Deus præcepit ei, vt malediceret*, 2. Samuelis 16. Denique, ne omnia colligam, de Absalomi incesto Deum ipsum prædicere. Secundi Samuelis 12. *Ego suscitaturus sum contra te malum è domo tua: & accipiens vxores tuas ante oculos tuos, tradam proximo tuo, qui cubabit cum vxorib. tuis coram isto sole. Quia tu feci sti clam, etiam ego facturus sum rem hanc coram toto Israele, & coram sole.*

V. Ita de actionibus, quatenus actiones sunt. At si deueniendum ad actionum qualitates; rursus distinguunt: agere Deum vel per se, vel per instrumenta. Per se, vt creationem, vt plurima miracula: scilicet, quoties nullas adhibet causas secundas ad opus efficiendum. Tum ergo pronunciant Catholici, & actionum & qualitatum fontem, atque auctorem Deum esse proprie, ac simpliciter. Semper autem & auctorem bonum; & actiones bonas: vt in creatione Gen. 1. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat & erant valde bona.*

VI. Quum per causas secundas operatur, id est adhibitis instrumentis: tum rursus: dupliciter, vel enim instrumentis vtitur, iuxta eorum naturam, qualem habent in se; vt quum Sodomam Gomorrhamque incendit, igne vsus est, cuius hæc natura, vt vrat & in cineres redigat corpora quæ corripit; & quum diluuio terras purgauit; tum vndas adhibuit: quæ à natura habent, vt præfocent quæcunque absque spiritus reciprocatione viuere nequeunt. Alias vero eorum instrumentorum naturam modo cohibet, modo mutat. Sic tres illos pueros in fornace conseruauit, inque ignis medio, quanquam vrentis: sic populum traduxit, cohibito fluxu aquarum tum maris rubri, tum Iordanis: sic aquas Ægyptias mutauit in sanguinem: sic hominum multa millia paucis saturauit panibus: sic alia plurima.

VII. Quoties ergo instrumentorum naturam vel cohibet, vel mutat; tum non actiones tantum; sed etiam actionum qualitates ab eo sunt. Itaq; semper bonæ. Sic ex blasphemo Paulus factus vas electionis, plurima fecit bona; de quibus ipse sic pronunciat, 1. ad Corinth. 15. *οὐκ ἐγὼ δὲ, ἀλλ' ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ ἡ σὺν ἐμοί. Non ego tamen, sed gratia Dei, qua mecum est.* Nec aliter in omnibus fidelibus, 2. ad Philippenses: *Deus is est: qui efficit in vobis, & vt velitis & vt efficiatis.*

VIII. At vero, cum neque immutatur, neque cohibetur instrumentorum natura, tum actionum qualitates ab ea natura sunt, tanquam à proxima causa. Quomodo enim suauitas rosæ, & fœtor cadaueris à sole sunt, sic tamen, vt remota causa, sit tantum odoris eductio: odoris tamen qualitas suauis à rosa: fœtor à cadauere: sic in operibus Dei. Quum enim incensi sunt Sodomitæ satelliteſve Nabucadnetsaris; ardor ille fuit ab igne. At verò cum Ierichuntinos pueros Elisæo insultãtes vrsæ occiderunt, post. Regum 2. tum, etsi id à Deo fieret, tamen ambusti non sunt pueri, sed laniati, nempe quia vrsorum natura non est vt vrant, sed vt lanient: tamen non fuit speciali illa ἐνεργείᾳ, vrsis indita rabies: habebant enim prius à sua natura. Itidé camini flammam Deus impulit. vt camino excedens circumstantes satellites cremaret: at ardor illi tamen ex natura ignis.

IX. Neque aliter de iis creaturis censendum, quibus hanc naturam Deus ab initio concessit, vt agant voluntate sua: Nam, quemadmodum, quum aliter atq; aliter vult Deus homines vlcisci; tum immittit in eos, modo ignem, modo vndas, modo vrsas. indeq; fit, vt actionum alia vrat, alia suffocet; alia laniet, propter instrumentorum naturam variam: sic cum idem Angelis vtitur & diabolis, nihil mirum, si dicamus actiones illas, etsi ab eadem prima causa, tamen varias induere qualitates. Et quẽadmodum dicimus Deum voluisse satellites illos nimio calore perire: Ægyptios autem præfocatione: sic omnino fatendum, quum per Angelos quid efficit, velle id bene fieri, quum vero per diabolos, male fieri. Quia, sicut ignis est vrens; vnda præfocans: sic Angeli boni, diaboli mali.

X. Iam si diabolis nequitiam ipse vel indidisset Deus à prima origine, vt Angelis bonitatem, vel inderet ad singulas actiones, vt fidelibus gratiam, sine dubio posset Deo peræque vtrumque imputari, & benefactum Angelorum, & factum male diabolorum. Sed contra verum, à seipsis diabolos esse malos. Itaque eorum, quæ per diabolos Deus operatur, nulla culpa in ipsum redit, sed tota remanet in diabolis. Nec aliud iudicium de hominum peccatis. Propterea, in eodem opere, optime agente Deo, pessime agit instrumentum: ac tum, quemadmodum optimæ actionis laus nulla peruenit ad instrumentum malum, ac propterea male agens: neque enim diabolus eo laudandus, quod ex tentatione Iobi fides eluxit: Ita neq; ad Deum redundat instrumenti culpa.

XI. Itaque falsum est, Deum autorem peccati aut esse, aut ab iis constitui, qui Dei prouidentiæ omnia subiiciunt: nisi forte peccatum varia notione nominetur. Non enim semper, vt dixi, pro ipsa actionis qualitate, propter quam vitiosam, peccati & nomen & rationem habet: sed sæpius pro ipsa actione cum qualitate mala. Nam quemadmodum dicimus Philippum esse patrem eius qui Darium vicit: non quod hanc ipsam Darij victoriam Philippus genuerit; aut effecerit, vt Darius vinceretur: Sed quia Alexandrum genuerit, eundem ipsum numero, qui Darium vicit: sic potuit Caluinus dicere, à Domino procedere, quæ scelerate ab hominibus maleficia perpetrantur, hoc sensu, vt à Deo procedant eę actiones, quæ impiorum scelere sunt maleficia. Sed hæc impropria loquutio est.

XII. Hinc sunt illæ disertissimæ Caluini distinctiones. Nam primo, quæstionem ipsam his proponit verbis instituit. lib. 2. c. 4. §. 1. *An aliquid in malu operibus Deo sit tribuendum, in quibus nonnullam eius actionem intercedere spiritus insinuat.* Caute. Non igitur totum opus Deo tribuitur in solidum. sed aliquid operis. & §. 2. *Idem facinus Deo, Satanæ, homini assignari, videmus non esse absurdum: sed varietas in fine ac modo, facit vt illic inculpata Dei iustitia reluceat; Satanæ, hominisq; nequitia cum suo opprobrio se prodat.* & §. 4. *Non male alicubi Augustinus ita definit; quod ipsi peccant, eorum esse: quod peccando hoc vel illud agunt, ex virtute Dei esse, tenebras, prout visum est, diuidentis.* & 5. *Longe tamen discrimine semper distat in eodem opere, id quod agit Dominus, ab eo quod Sathan & impij moliuntur. Ille mala instrumenta qua sub manu habet, & versare quolibet potest, seruire iustitiæ suæ facit. Hi prout mali sunt, nequitiam ingenij prauitate conceptam effectu pariunt.*

XIII. Sed illud, de fine modoque, prolixius ab eodem explicatur paragrapho secundo. *Quomodo idem opus* (Iobi tentationem intelligit) *ad Deum, ad Satanam, ad hominem autorẽ referamus, quin vel Satanam excusemus Dei consortio, vel Deum mali autorem prædicemus? facile: si finem agendi primum inspiciamus, deinde modum. Domini consilium est servis sui patientiam calamitate exercere. Satan molitur eum ad desperationem adigere: Chaldæi exrea aliena præter ius & fas lucrum quærere affectant: Tanta in consiliis diuersitas opus iam valde distinguit. In modo non minus est discriminis: Satana affligendum seruum suum Dominus permittit: Chaldæos, quos ad id exequendum ministros delegit, illi permittit ac tradit impellendos. Satan alioquin prauos Chaldæorum animos venenatis suis aculeis ad perpetrandum id flagitium instigat: illi ad iniustitiam furiose ruunt, omniaque membra scelere obstringunt, ac contaminant. Proprie ergo agere dicitur Satan in reprobis, in quibus regnum suum, hoc est nequitiæ exercet. Dicitur & Deus suo modo agere, quod Satan ipse, instrumentum cum sit iræ eius, pro eius nutu, atque imperio huc atque illuc se inflectit ad exequenda eius iusta iudicia.* Et in eandem sententiam contra Libertinos c. 14. *Magna est differentia inter opus Dei, & opus impij, quum ea Deus vice instrumenti vtitur: impius enim sua auaritia, aut ambitione, aut inuidia, aut crudelitate incitatur ad facinus suum, nec alium finem spectat: ideo ex radice illa, id est, ex animi affectione, & fine, quem spectat, opus qualitatem sumit, & merito malum iudicatur. Sed Deus respectum omnino contrarium habet. Nempe, vt iustitiam suam exerceat.*

XIV. Beza in abtersione calumniarum Heshusij *Res ita se habet, non simpliciter dicimus voluntatem, siue decretum, & efficacem operationem Dei interuenire in ius qua mala sunt: sed duo simul adiicimus; vnũ, ita in hu interuenire Dei voluntatem; vt tamẽ ea minime velit aut agat, quatenus mala sunt, sed quatenus aut sunt aliorum malorum pœna: aut per illa Deus suos explorat aut etiam confirmat. Alterum, sic Dominum vti, quoties libuit, malis etiam instrumentis ad sua iusta opera peragenda, vt ipsa interim instrumenta Deo minime obsequantur.* Et contra Castellionem de æterna Dei prædestinatione. *Agit Deus aliter per bona instrumenta, quam per mala. Nam præter quam quod agit per bona instrumenta suum opus, bona etiam instrumenta suum opus agunt ea vi & efficacia, quam Dominus illis suggerit. Dominus denique cum per illa suum opus agit, in illis etiam operatur velle & perficere. Per malos autem, veluti per Satanam, aut homines, quatenus regenerati non sunt; quoties iusta sua voluntatis æterna consilia & decreta Dominus exequitur, suam quidem vim & efficaciam in opere suo per illos, vel nescientes, vel inuitos exserit: sed tamen quatenus ipsi suum opus agunt; Dominus in illis minime operatur; sed Satana laxat habenas, quibus etiam impios mouendos, & excitandos iusto suo iudicio tradit, vt suo & illius arbitratu ferantur.*

CAP. III.

Sententia Papistarum de Prouidentia Dei circa peccata.

I. LOmbardus dist. 46. lib. 1. meras tenebras loquitur. *Dicamus*, inquit, *Deum non velle mala fieri: nec tamen velle non fieri, neque nolle fieri.* Qui lusus est verborum, præterea nihil. Quis enim intelligat, quomodo quid non velis fieri, & tamen non nolis fieri? aut non nolis fieri, & tamen non velis non fieri? Nam hæc quidem, opinor, ægri somnia, vanæ figuntur species. Quin loquitur apertius? Habere se Deum mere indifferenter ad malum: Quomodo, qui vel prorsus nesciunt, vel omnino non curant. Sic rusticus, nec vult, nec non vult, solem in aquarium ire, qui ne aquarium quidem cogitat, nec Pedaneus iudex in Gallia, nec vult, nec non vult Hispaniarum Regem Madriti agere, aut Salamancæ: qui etsi sciat esse & Regem Hispanum, & Madritum, & Salamancam; tamen nouit nihil ad se pertinere. Sed talem Deum ad Epicureos relegant Catholici.

II. Scholastici Theologi paulo subtilius distinxerunt malum naturæ, malum pœnæ, malum culpæ, malum naturæ, vt quum quis nascitur cæcus, aut surdus: malum pœnę, vt morbos, ob præcedentia peccata: malum culpæ, ipsum illud malum, cuius causa irrogantur pœnæ. Nullo modo velle Deum malum culpæ, sed velle malum naturæ, aut pœnæ, at non per se, sed per accidens, & quidem voluntate signi, non beneplaciti.

III. Quæ sententia vel falsa est, vel certe multis distinctionibus coercenda. Nam primo, malum pœnæ à malo naturæ, vix bene discerpitur: quum naturæ malum non sit nisi à peccato primo: atq; ita etiam malum pœnæ. Secundo, in malo pœnę sine dubio concipiendæ etiam affectiones piorum, siue tentationes: vt quum Ioseph venditus à fratribus, Iob tentatus à Sathana: & sic Altenstaig in Dictionatio Theologico, verbo *Pœna*. Tertio, intelligendum malum pœnæ & culpæ, non sic distingui realiter, vt quod malum est culpæ, nunquam possit esse malum pœnæ. Nam sæpe peccatis posteriorib punit Deus peccata præcedentia. Ad Ro. 1. *Mutarunt gloriam incorruptibilis Dei in effformatam imaginem mortalis hominis, & volucrium, & quadrupedum, & reptilium: Quamobrem etiam tradidit eos Deus cupiditatib. cordium ipsorum ad impuritatem, vt fœdarent corpora sua inter se.* Post. ad Thes. 2. *Pro eo quod amorem veritatis non receperunt, vt salui fierent: propterea igitur immittet illis Deus efficaciam deceptionis vt credant mendacio.* Nã credere illę cupiditates, istudq; credere mendacio, sunt mala culpæ, propriissime & verissime: eatenus tamen mala pœnæ, quatenus sunt in præcedentium culparum pœnas: vt certum sit: Deum præcedentia peccata sequentibus peccatis punire.

IIII. Sed illud: qui constet? Velle Deum malum naturę, & pœnæ, non tantum per accidens: sed voluntate signi, non autem voluntate beneplaciti? Nam voluntas signi, proprie non est voluntas Dei, sed tantum metaphorice, teste Lombardo li. 1. dist. 45. Ergo nihil ponit in Deo: hoc est, non est voluntas in Deo: quis autem credat nullam esse in Deo voluntatem positiuam, qua velit peccatores punire? Deinde voluntas signi nihil efficit: At Deus efficit pœnas peccatorum. Quid enim disertius minis, quæ continentur in Deuteronomio, & in Prophetis? Multo

rectius

rectius alij voluntatem beneplaciti distinguunt in antecedentem & consequentem: & Deum velle peccatum voluntate antecedente, nimirum vt pœnas sumat à peccante; quod concedit Ariminensis in Lombardi distin. 46. libri 1. Itaque Ioannes maior, *Peccata fiunt voluntate Dei beneplaciti.* In eiusdem libri dist. 45.

V. Aquinas parte 1. summ. q. 19 art. 9. *Malum culpæ, quod priuat ordine ad bonum diuinum, Deus nullo modo vult: sed malum naturalis defectionis, vel malum pœnæ, vult volendo aliquod bonum, cui coniungitur tale malum.* Et Durandus in 1. Sentent. dist. 46. *Dicenda sunt tria ad quæstionem propositam: Primum est, quod nullum malum vel culpæ, vel pœnæ, potest esse per se volitum à Deo, seu quotcumque alio. Secundum est: quod mala pœnæ vel naturæ possunt esse volita à Deo per accidens. Tertium est, quod mala culpæ non possunt esse volita à Deo, nec per se, nec per accidens.*

VI. Audacissima determinatio. Nam si nullo modo, ne per accidens quidem, Deus velit malum culpæ: & velit tamen aliquo modo, id est, per accidens, malum pœnæ. Ergo nunquam malum culpæ poterit esse malum pœnæ. Quod contra iam probatum est. Itaque necessario concedendum, aliquo modo, hoc est, per accidens, Deum velle non tantum malum naturæ aut malum pœnæ: sed etiam malum culpæ: nimirum, quatenus esse potest malum pœnæ. Nam quod Thomas dicit malum culpæ, priuare ordine ad bonum diuinum, non est satis consideratum. Quia certum, idem illud malum culpæ, quod hominem abducit à bono Diuino, inferre tamen per accidens diuinam iustitiam; quam ipse Deus amat, æque ac suam bonitatem: Quum sit certum, bonitatem & iustitiam non distingui, nisi ratione nostri: in Deo autem non esse diuersas. Itaque, vt vult Deus malum pœnæ per accidens; quia sic illustratur iustitia: eadem ratione, malum culpæ quodammodo volet per accidens, quod necessario ponendum est, vt pœna iusta sit; imo, vt pœna sit. Quare volet, vt pœnam propter iustitiam, id est, non per se; sed per accidens: sic culpam propter pœnam. Quia quemadmodum absq; pœna non est iustitia; sic absq; culpa non est pœna: ac proinde nulla iustitia. Imo amat Deus misericordiam suam. Non est autem misericordia absq; gratia: nec gratia, absque remissione pœnæ: nec remissio pœnæ, absq; remissione culpæ. nec remissio culpæ, absque culpa. Ergo vult Deus aliquo modo culpam propter pœnam; pœnam propter remissionem, siue gratiam & misericordiam.

VII. Longe melius idem Thomas quæst. 49. art. 2. Effectus causæ secundæ deficientis reducitur in causam primam non deficientem; quãtum ad id, quod habet entitatis & perfectionis, non autem quantum ad id, quod habet de defectu. Sicut, quicquid est motus in claudicatione, causatur à virtute motiua, sed quod est obliquitatis in ea, non est ex virtute motiua, sed ex curuitate cruris. Et similiter, quicquid est entitatis & actionis in actione mala, reducitur in Deum, sicut in causam: sed quod est ibi defectus, non causatur à Deo, sed ex causa secunda deficiente. In eandem sententiam Andradius Orthodox. explicat. lib. 3. *Neque vero ita peccatum nihil esse dicimus vt alteram ipsius partem, qua in actione consistit, rem quandam esse negemus, & quam, nisi diuina operatio concurrat, homo per se efficere nulla ratione possit. Deus enim omnibus rerum functionibus ita assidet, vt nisi vires ad agendum suppeditet, & vna cum rebus ipsis operetur, nulla sit tanta virtus, quæ per se & à se quippiam agere possit.*

VIII. Hæc si vere & constanter Thomas, si vere & constanter Andradius; quid est, quare latrent Sophistæ, quum Catholici negant Deum à se fieri authorem peccati; et si tum satanam, tum improbos constituant eius instrumenta etiam in malis operibus? Aut quanto spatio ab iis distat Beza in absterſione calumniarum Heshusij? *Recte ergo*, inquit, *& iuste peccantibus instrumentis vtitur, eaque ad destinatum à se finem perducit, & ita quidem vt nihil peccet, neque in mouendo, neque in dirigendo instrumento. Actio enim ab ipso est: defectus vero ab instrumento: quod & ipsum interiore motu semet ipsum agit: cumque corruptum sit, motus habet necessario deprauatos. Nam causa peccati est tota in Satana & in nobis: quo autem tempore & in quem finem debeat erumpere, in potestate Dei est, qui nouam malitiam non infundit: sed eam quæ hominibus innata est, pro infinita sua sapientia, quando & quomodolibuit, mouet, gubernat, flectit, regit denique, ac moderatur, ad nominis sui gloriam, in sciis etiam impiis, atque adeo contrarium prorsus consilium apud se ineuntibus.*

VIIII. Cæterum inualuit iampridem in hac controuersia distinctio Permissionis, & Voluntatis: vt dicerent, Deum nolle quidem peccata, sed tamen permittere. Hanc distinctionem & Martyr reiquit, & Caluinus, ac Beza seuere exagitant. Quanquam non veretur etiam Caluinus eam ipsam permittendi phrasim vsurpare, Institut. libri 2. c. 4. §. 2. *Chaldæos illi (Satana) permittit ac tradit impellendos.*

X. Sed quia hæc distinctio discerpta à voluntate permissionem: omnino viderunt, primo, non satisfieri tot tamq; disertis Scripturæ locis, quibus ἐνέργεια asseritur Dei: *Ego faciam coram hoc sole: præcepit ei vt malediceret:* & similia, quæ tanto magis vrgent, quanto absurdius hanc permissionem Scholastici negant esse voluntatem beneplaciti, sed tantum signi, id est, non voluntatem nisi μεταφορικῶς. Secundo, indignam esse Deo distinctionem, vt quæ eius, vel potentiam, vel prouidentiã minuat. Si enim ita permittit mala, vt nolit, ergo vel quia impedire non potest; vel quia, si possit, non curat, insuperq; habet. At illud dici non potest, quin negetur omnipotens: neque hoc, quin Epicuri blasphemiæ renouentur, & constituatur Deus tanquam ædilis olim populo ludos exhibens. Hinc ista. Instit. lib. 1. c. 18. *Absurdum videtur, volente & iubente Deo excæcari hominem, qui mox cæcitatis suæ pœnas daturus est. Tergiuersando itaque effugiunt: Deo tantum permissu non etiam voluntate, hoc fieri: ipse verò, palam se facere pronuncians, effugium illud repudiat.* Et rursus, *Vult Deus perfidum Regem Achab decipi, operam suam offert diabolus ad eam rem: mittitur cum certo mandato, vt sit spiritus mendax in ore omnium Prophetarum. Si Dei iudicium est excæcatio & amentia Achab, nuda permissionis figmentum euanescit: quia ridiculum esset, iudicem tantum permittere, non etiam decernere, quod fieri velit; & mandare exequutionem ministris.* Libro de Prædestinatione, *Hinc certe iam colligere promptũ est; quam inane & fluxum sit illud diuinæ iustitiæ patrocinium: Quæ mala sunt, non eius voluntate, sed permissu duntaxat fieri. Equidem, quatenus mala sunt, quæ malo animo perpetrant homines, vt statim plenius exponam, Deo minime placere fateor: sed quod otiosum ea permittere fingunt, quæ Scriptura non tantum eo volente, sed autore fieri pronunciat, nimis friuolum est effugium.* Martyr in c. 3. Iudicum. *Quidam non malo sane studio Deum excusare nituntur, illumque aiunt mala hæc non efficere, sed tantum permittere, putantque in locis dubiis eam interpretationem esse aptandam, quæ à vitio & periculo impietatis omnino careat. Laudandum profecto esset hoc istorum consilium, si eorum expositionem in Scripturis approbari videremus.* Et in cap 9. *Annotabimus præterea vocabulum permissionis adhibendum non sic esse, quum Deus vel à Scripturis, vel à Patribus, causa peccati videtur asseri: quasi tantum patiatur homines peccare: & sua prouidentia & gubernatione circa peccata nihil operetur.* Hac ipsa de re plura Beza in absterſione calumniarum Heshusii, haud procul ab initio.

XII. Bellarminus tom. 4. Controuers. 2. lib. 2. hanc controuersiam ita tractat: vt primo, quatuor absurda consequentia esse dicat sententiæ Catholicorum; vnum Deum esse authorem peccatorum, quæ à nobis fiant: alterum, Deum vere ac proprie peccare: tertium, Deum solum vere peccare, non etiam homines: quartum, nihil esse peccatum, nisi falsam opinionem. Secundo, disputat Deum nec peccare, nec esse peccati autorem; tum è Scripturis, tum è Patribus, tum è Traditionibus. Tertio, disputat contra argumenta Catholicorum ex Scriptura & Augustino.

XIII. At nos cum in secunda parte libere exspatiari permittemus. Nam omnes Catholici assensum præbent, & inter Catholicos nemo grauius Caluino, & solidius eam tractauit. Imo, Libertinos Papistarum nullus exagitabat, cum in eos classicum pius ille vir & magnus cecinit. Imo non classicum cecinit duntaxat, sed iusta pugna decertauit, luculentamq; victoriam reportauit. Nobis igitur astipulantibus, operas etiam, cum opus erit, conferentibus, concludit sane Bellarminus, Deum non esse peccati autorem, & nullo modo peccare. Anathema, si quis contradicat. Sed argumentorum refutationem non oportet abire inexploratam: ne illa quidem quatuor consectaria; id est, totidem calumniæ, intacta prætermitti: initio tamen facto ab ea refutatione, quæ postrema est apud Bellarminum.

CAP. IV.

An Deus velit peccata.

I. ARgumenta, quæ sunt à Scriptura, Bellarminus ita tractauit, vt admiscereet quæ pertinent ad quæstionem de Prædestinatione reproborum: cuius locus assignatur lib. seq. ego seperabo.

II. Argumentum primum è Scripturis: Quicquid prouisum est in consilio Dei; id Deus vult voluntate beneplaciti. At peccata prouisa sunt in consilio Dei. Ergo peccata Deus vult voluntate beneplaciti. Maior per se patet.

III. Minor probatur, Genes. 45. *Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum.* Et 50. *Nolite timere: num Dei possumus resistere voluntati?* Act. 2. *Hunc definito consilio Dei traditum, per manus iniquorum affligentes interemistis.* Et 4. *Conuenerunt vere in ciuitate ista aduersus Sanctum puerum tuum Iesum, quem vnxisti, Herodes & Pontius Pilatus, cum gentibus & populus Israel. facere quæ manus tua & consilium tuum decreuerunt fieri.*

IV. Respondet Bellarminus, primo, distinguendo minorem: deinde, explicando locos citatos in eius confirmatione. Distinguit igitur actionem à passione; illam posse esse malam, & hanc esse bonam. Nam in venditione Ioſephi & occisione Christi, si ex parte vendentium & occidentium fiat consideratio, scelera erant grauissima: at si ex parte patientium, æquo animo ferentium venditionem, & occisionem: opera erant summæ patientiæ: proindeque valde bona. Itaque hæc Ioſephi, Christique opera voluisse ac prædestinasse Deum: at fratrum Ioſephi, & Iudæorum, nec voluisse, neque prædestinasse, sed tantum præuidisse, ac permisisse.

V. At contra, actio, & passio non re, sed ratione differunt: quia re vera idem id ipsum patitur, is qui patitur, quod agit is qui agit. Itaque etsi variæ sunt agendi partes & patiendi: tamen vnus est, & idem vtrinque quasi terminus in quem desinit actio: & à quo incipit passio. Itaque hæc distinctio nihil est, vt præter meras præstigias. Neque enim cogitare vllus potest, quomodo quisquam velit occidi, & tamen non velit occidi à quoquam. Qui enim vult aliquid, necessario id vult, sine quo illud aliquid esse non potest. Non potuit Ioſeph vendi, nisi eum fratres venderent. Si Deus voluit vt Christus patienter ferret se occidi, necessario voluit, vt eum Iudæi occiderent. Nec potuit alterum sine altero fuisse voluntate Dei præfinitum, decretumque.

VI. Deinde ipsa Scriptura non tantum passionem Ioſephi aut Christi Deo tribuit, sed etiam diserte actionem à qua fuit illa passio. Nam Ioſephus quidem non dixit, Deus voluit me huc mitti: quod tamen si dixisset, non euaderet Sophista: sed totidem verbis, *Misit me Deus ante vos.* At mittere significat efficientiam, quæ terminatur in eum actum, à quo incipit ea passio. Eam quidem efficientiam proxime fuisse in Madianitis nemini dubium: Nam hi Ioſephum deduxerunt, sed fuisse etiam in fratribus, nemo potest negare: quanquam paulo remotius. Imo Madianitarum nulla habetur ratio: sed fratrum duntaxat: Itaq; possumus proxime eam efficientiam dicere in fratribus: Sed si in iis tantum: Ergo nulla erat eorum excusandorum ratio: nec poterat Ioſephus aliter loqui, quam, *Vos misistis me huc.* Quod si dictum esset, nemo dubitaret, quin iis verbis ea efficientia significaretur, nec quisquam vel somniaret sensum esse, vos voluistis me mitti passiue; sed voluistis mittere me actiue. Cur non igitur dicamus Bellarminum nugari, & habere omnes alios à se pro fungis?

VII. Quid? quod diserte Ioſeph negat in ea proxima efficientia subsistendum? Negat, inquam, diserte. *Non vos misistis me huc, sed Deus.* Consentimus tamen. & illos. Itaq; sensum esse, non vos soli; ita vt in considerandæ vestræ efficientiæ non possim altius ascendere: Vos igitur misistis me: sed & Deus misit me. Nam ita habetur Hebraice: pro eo quod Latine legitur, aliis verbis, non alio sensu: *Non vestro consilio, sed Dei voluntate*

huc missus sum: Verbis tamẽ, ex quibus, credo, Bellarminus facetus ludio, ansam sophismatis cepit: quia nempe patientis sit, *missus sum*; sed Hebraice non ita sonat.

VIII. De Christo similiter. Ad Rom. 8. *Is qui proprio Filio nõ pepercit: sed pro nobis omnib. tradidit eum.* Act. 3. *Deus ille Abraham, & Isaac, & Iacob, Deus Patrum nostrorum, glorificauit Filium suum Iesum, quem vos tradidistis.* Audin? Constat Christum esse traditum, & hæc passio est. Quis tradidit? & hæc actio est. Quis, inquã, tradidit? Iudæi tradiderunt, respõdet Petrus. Et vere Pater tradidit, respondet Paulus: an falso? ergo non tantũ præfiniuit Deus id, quod in eo actu passiuum fuit respectu Christi traditi. Sed illud etiam, quod erat actiuitatis, &, vt vno verbo dicam, Iudæi proxime tradiderunt: at Deus remote; quia per Iudæos sua instrumenta: Augustinus ep. 48 *Quum ergo & Pater tradiderit Filium suum: & ipse Christus corpus suum: & Iudas Dominum suum: cur in hac traditione Deus est pius, & homo reus, nisi quia in re vna, quam fecerunt, causa non vna est ob quam fecerunt?* In re vna, inquit. Quo effugiet Bellarminus? Nam actio & passio non sunt res vna; sed concurrunt in rem vnam. Sed eam rem vnam effecerunt, inquit Augustinus. At efficere non significat passionem: effecerunt ergo vnam illam rem: quinam? Pater Deus; Christus Deus; Iudas homo. Ergo Augustinus in ea vna re, in Deum retulit, non passionem, siue passibilitatem, sed ipsum tradere, siue actiuitatem. En tibi quam sint frustra subtiliter Sophistæ!

IX. Denique, si verum est, in vno eodemque opere passionem esse & actionem: itemq; verum, passionem bonam esse: actionem malam: hanc à Deo præscitam, illam decretam: ergo recte Caluinus in eodem facinore obseruari iubet varietatem finis. Verum & illud, in eodem opere, propter finem varium, tum Deum esse laudandũ, id est, non peccare; imo optime agere: tum diabolum, atq, hominem damnandum, hoc est, peccare, & pessime agere. Atq; adeo vnum idemq; opus, & à Deo fieri bene, & à diabolo atq; homine fieri male. Quod Catholicis satis est: apparet autem id Papistas verbo damnare, ad Catholicos calumniis iniuste onerandos; quo tamen ipsos necesse est confugere.

X. Venio ad locorum explicationem. Ergo. Genes. 45. & 50 negat Bellarminus Iosephum dicere, fuisse impulsos à Deo fratres suos ad scelus: sed Deum conuertisse malum eorum in bonum. Quia dicat: *Vos cogitastis de me malum; sed Deus vertit illud in bonum, vt exaltaret me, & saluos faceret multos populos.* Consolari enim Iosephum fratres suos, ostendentes bonũ rei euentum ex Dei prouidentia, quæ malum id permiserit, vt multa & magna bona eliceret. Et eo facere ista ex c. 45. *Nolite timere, neque vobis durum videatur, quod me vendidistis in his regionibus. Pro salute enim vestra misit me Dominus ante vos.*

XI. Fateor vero, hæc totidem verba non legi, impulsos fuisse fratres ad scelus. Sed respondeo: Primo id non esse huius argumẽti: sed proximi. Nunc enim disputatur de æterno decreto: de impulsione vero agetur capite proximo. Itaque nimis importunus Bellarminus; qui vbique omnia quærat. At enim in Dei operibus didicimus considerare distincte cõsilium ab executione. Iam impulsio non potest non exequutionis esse. At nos etiam à consilio obtinemus quod volumus. certe enim, si nullo modo vult Deus malum: Ergo non decreuit: nam decretum est voluntas: & quidem certa voluntas: & quidem efficax voluntas. Atqui ex his locis constat decerni malum. Recta igitur & necessaria conclusio est, Deum velle aliquo saltem modo malum, & velle efficaciter. Nam decretum longe aliud est, quam nuda permissio.

XII. Secundo, locum in veritate Hebraica paulo aliter esse, & disertiorem in sententiam Catholicorum. *Vos cogitastis in me malum. Deus autẽ cogitauit in bonum.* Vbi audis vnum idemque, tum homines cogitasse, tum Deum. Non enim potest disertius: *Vos cogitastis: Deus cogitauit illud.* Illud, inquam, non vero aliud. Ergo vnum & idem ἀντίλογον, tum à Deo est cogitatum; tum ab hominibus: ac proin de tum Dei est; tũ hominum. Fratres cogitarunt: Deus cogitauit. Quid est, fratres cogitarunt, an tantũ permiserunt? an tantum non noluerunt? Ridiculum. Ergo etiam, Deus cogitauit, non est, Deus permisit, Deus non noluit. Imo fratres sic cogitarunt, vt apud se constituerent, hoc idem malum ad exitum perducere. Ergo & Deus: sic cogitauit, vt apud se constituerer, hoc idem malum ad exitum perduci à suis authoribus. Ac sane id significat verbum חשב in similibus phrasibus. Priore libro Samuelis c. 18. *Saul cogitabat tradere Dauid in manus Philistinorum.* Quis non videt apud se Saulum deliberasse, & iniisse rationes, quibus efficeret, vt Dauid incideret in manus Philistinorum? At id non permissio erat nuda: sed ẽt consiliũ. Hiere. 18. *Agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitaueram, vt facerem illi.* Et agitur de malo pœnæ: q̃ aduersarii concedunt Deum non tantũ permittere, sed ẽt velle.

XIII. Tertio, esto eorum verborum, cogitauit illud in bonum, sensus, quem expressit Latinus interpres: *Deus vertit illud in bonum* dum modo non intelligamus de sola exequutione: sed de consilio: hoc est, iam ante quam hoc malum compleretur, Deus statuit in consilio suo id ipsum conuertere in bonum. Ne subitaneæ fiant voluntates Dei: quomodo homines sæpe solent è re ipsa, &, vt loquuntur, in arena consilium capere. Nunquam enim id Deus voluisset vllo modo, nisi vt conuerteret in bonum: nam illud est quod Catholici docent: Deum sibi semper bonum finem proponere in eodem opere; in quo sibi homines malum, conceditur ergo finis diuersitas, concedatur itidem actionis identitas.

XIV. Quarto, non bene Bellarminus vnicum illi insistit loco: *Deus vertit illud in bonum.* Quasi id tantum Iosephus dixisset. At dixit etiam: non vos estis, qui me huc misistis, sed Deus. Itaque ambo loci sunt comparandi: & ex illo quidem eliciendus finis ille optimus, quem sibi Deus proposuit. Ex hoc autem concludendum certum & efficax consilium, quo decreuit id fieri; vnde tam bonus finis erat eliciendus. Non enim contradicunt inter se, sed subalternantur, aliquid decernere, & in eo decernendo bonum sibi finem proponere. Quare ridicule Bellarminus, posito fine, conatur tollere præcedentia eum finem.

XV. Sed enim, quid respondet ad illum locum, quẽ, vt diximus, Latinus vertit, *Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum?* Nempe (inquit) in eundem sensum recidere: pertinere enim, exponente Chrysostomo, ad consolationem fratrum: & sensum esse: nisi Deus permittere voluisset id quod de me facere conabamini, non potuissetis vestro cõsilio quicquam agere: propterea non vestro consilio, sed Dei prouidentiæ adscribo causam ingressus mei in Ægyptum. Ideoque Ambrosium dicere libri de Ioseph captiuitate c. 12. sanctum Ioseph non tam attendisse, quod à fratribus missus fuisset ad mortem; quam quod à Deo missus fuisset ad vitam: & ideo fraterna charitate conatum esse peccatum illorum excusare: & causam ingressus sui in Ægyptum, non illorum impietati, sed Dei prouidentiæ tribuisse.

XVI. Sed hæc Ioseph verba pertinere ad fratrum consolationẽ, probare non debuit Bellarminus autoritate Chrysostomi. Nã id per seipsum nemo non satis videt. Illud potius laborare debuit, vt demonstraret, quibus legibus fieri posset legitima consequẽtia: consolatur fratres: Ergo illud, *Voluntate Dei huc missus sum*, intelligendum de nuda permissione. Nã ita simpliciter dicere, nihil aliud est, quã impudenter abuti nostra patientia. Quasi vero, non æque solida imo vero nõ magis solida sit consolatio, seruata ipsa vi singulorum verborum; vt volũtas significet certũ decretũ: Maxime, cum veritas Hebraica habeat, vt sæpe dixi, ἐμφαλικώτατα; *non vos misistis me huc, sed Deus ipse.* Addo numquã deduci posse verã cõsolationẽ, imo nullam consolationem ex eo sensu, qui Deo nudam permissionẽ affingit. Nam si nude permittit: ergo aut nescions, aut non curans, aut nolens. Si nescions aut non curans: Ergo non prouidens: at quæ à Deo non prouidente ad homines redire potest consolatio; magis quam à fortuna? Imo magis dicam, quam à stipite? si nolens; ergo ex potentiæ defectu. Et impotens Deus quemquam consoletur?

XVII. Itaque, neque Chrysostomus, neque Ambrosius hic vllã permissionem nominant; vt videri voluit Bellarminus: sed prouidentiam iste, ille dispensationem. Dei (inquit Chrysostomus) *dispensatione contigerunt hæc.* Græce est opinor, οἰκονομία, quæ significat sic Deum vniuerso orbi prouidere; quomodo œconomum familiæ: non otiose spectando, sed certo consilio dispensando. Ambrosius. *Quam pia fraternitas! quam dulcis germanitas! vt etiam parricidale excusetur admissum: dicens, diuina illud prouidentia fuisse, non impietatis humanæ: quandoquidẽ non ab hominibus oblatus ad mortem, sed à Domino missus ad vitam.* Audi prouidentiã, & expende. Non enim prouidentia est voluntas signi; quæ non est voluntas, nisi metaphoricè: sed est voluntas beneplaciti. At permissio est voluntas signi. Non est ergo permissio prouidentia. At prouidentia missus Iosephus: ergo non permissione. Non potest ergo hoc Iosephi exemplum vlla arte eludi.

XVIII. Sequitur de eodem alter locus. *Num Dei possumus resistere voluntati?* Bellarminus respondet, sensum esse non potuisse Iosephum resistere Dei voluntati, quæ erat vt fratribus suis ignosceret: non vero hunc, non potuisse fratres Ioseph resistere Dei voluntati; quæ erat vt Ioseph Ægyptiis venderetur.

XIX. Sed hic locus secundum Hebraicam veritatem sic habet ביהוה אלהים אני: quæ non sonant ad verbum, vt Latinus interpres retulit, imo ne quidem vt Bellarminus. *Num sub Deo sum ego?* sed sic potius, *An pro Deo ego sum?* vt Munsterus: siue, *An loco Dei ego sum?* vt Pagninus, & Leo Iudæ: & Tremellius. Et occurrit eadem phrasis, totidemque verbis Genes. 30. atque ibi Vulgata editio. Latina recte, *Num pro Deo ego sum?*

XX. De sensu autem variæ sunt sententiæ, vt obseruant Caluinus & Mercerus. Quidam putant à Iosepho repudiatum honorem, quem deferebant fratres prosternentes se coram eo: quasi diceret, soli Deo eum deferendum; se autem non esse Deum. Sed id non est verisimile. Nam prostrationis honor & vulgo, & sine peccato, hominibus deferri solebat in dignitate positis: Et ipse viderat in somniis se adorandũ à fratribus. Quin etiam, non erat periculũ, vt fratres fratrem adorarent tanquã Deum; quasi obliti sui generis. Deinde, & præcedentia ostendunt eos postulasse, vt parceret sceleri suo; quę preces nõ solent nisi demississime fieri. Alij seruant Iosephum polliceri se pœnas non sumpturũ, quia non esset Deus: quasi fratres puniendos Deo relinqueret. At id nõ videtur; sed potius ex animo, & in solidum condonauisse fratribus: atque adeo serio optasse ne Deus abiis pœnas reposceret. Alij aliter.

XXI. Quosdam Bellarm. notat, nec nominat, qui dicerent Iosephũ excusare scelus fratrum suorum, quia sic Deus voluerit, cuius voluntati resistere nemo possit. De quibus nihil est quod peculiariter dicam; qui nullos vidi. Sane excusatio illa probari non potest, nec habere quicquã sani: quia nunquam prætexenda est voluntas Dei ad eluenda scelera humana. Veruntamẽ Carthusiani erudita annotatio est, quã si præ oculis Bellarm. habuit, vt videtur, vix poterit se purgare à calumnia. Ipse viderit. Verba Carthusiani sunt. *Quasi dicat, nõ possumus resistere voluntati Dei, quæ est ipsa volitio omnipotentis in seipso, seu ipsemet Deus: qua cum sit omnipotens ac beatissima, semper infallibiliter q̃ impletur, sicut per Esaiam testatur. Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet. Atq; per Hieremiã. Quis est iste pastor qui resistat vultui meo? Signis autem Diuina voluntatis, scilicet præcepto, prohibitioni, consiliis, iniqui resistunt & eis contraria faciunt. Quamuis autẽ venditio Ioseph non fuit à voluntate diuina, nec placita Deo, in quantum fuit iniqua, & à voluntate fratrum peruersa: tamen in quantum fuit alterius, & via ac dispositio ad plurima bona, quæ Deus decreuit ex ea elicere, sic fuit à Deo vt placuit voluntate ipsius, nec potuit quis hoc Dei proposito impedire: nihil ominus fratres potuerunt, imo & debuerunt illam venditionem iniustam, vt talem vitare.* Recta hæc & erudita omnia ex vi verborum interpretis. Sed in iis nulla excusatio fratrum.

XXII. Caluinus tamen longe aliter. Non esse consentaneum vt se mortalis homo ad turbandum Dei consilium ingerat. Hoc est, pro certo statuere Iosephum, se in Ægyptum non esse delatum absque certo Dei consilio & decreto. Non debere igitur ab eo decreto dissentire: id enim fore, ac si sese pro Deo gereret, & ad se raperet autoritatem disponendi de prouidentiæ decretis. Atque ita apparet ex sequentibus: statim enim subiicitur: vos cogitastis de me malum: sed Deus cogitauit illud in bonum.

XXIII. At Bellarminus illos magis probat, qui putant Iosephum policeri se condonare culpam fratribus: quod facile condonari possit Chrysostomo; qui delusus editione Græca, legit, *ego sum Dei*: quod non soluin ab Hebraica veritate est dissonum (inquit Steuchus) verum etiam & peobscurum. Itaque Chrysostomus, vt potuit commodum sensum elicuit: *Dei sum ego, & Dominum meum imitor & beneficia reponere studeo, hoc qui*

qui mala irreparabilia contra me fecerunt. Sed Bellarminus, qui fontem consuluit; potuit aduertere nonnihil esse coacti in ea interpretatione Quanquam non bene consuluit, qui reddidit, *Nam ego sub Deo sum*, affirmandi formula: quum debuerit potius, Nam, num ego sub Deo sum? negando: & tamen viderit Bellarminus, vnde hanc sibi obiectionem delegerit. Nam ea certe pro argumento Caluinus non erat vsus. Credo propter ambiguitatem: vix enim solet argumentis delectari non certis.

XXIV. Restant loci ex Act. 2 & 4. Ex his Bellarminus vult nihil aliud colligi posse, nisi Deum voluisse, ac definiuisse, vt Christus passione morteque sua mundum redimeret: non autem voluisse, ac definiuisse, vt Iudas Christum proderet: Iudæi ad Pilatum adducerent. Et Leonem dixisse serm. 16. de passione Domini. *Multum diuersum, multumque contrarium est, id quod in malignitate Iudæorum præcognitum, & quod in Christi est passione dispositum. Non inde processit voluntas interficiendi, vnde moriendi: nec de vno exstitit spiritu atrocitas sceleris, & tolerantia redemptoris. Non enim impias furentium manus immisit in se Dominus, sed admisit: nec præsciendo, quod faciendum esset, coegit, vt fieret: quum tamen ad hoc carnem suscepisset vt fieret.*

XXV. Ad hæc nimia est audacia; in eludendis, peruertendisque disertissimis Scripturæ locis. In priori nominatur ὡρισμένη βουλὴ, præfinitum consilium. Hoc est, certũ, ratum, firmum. Deinde; hoc ita definito consilio traditũ interfecisse dicuntur Iudæi. Δεικνὺς (inquit Theophylactus) ὅτι οὐ τῇ αὐτῶν ἰσχύϊ ἔπραξαν ὅσα ἐτόλμησαν· ἀλλ' ὅτι ἠθέλησεν ἐκεῖνος, καὶ ὅτι ἄνωθεν ὡρισμένον ἦν. *Ostendit illos non suis ipsorum viribus egisse, quod ausi sunt: sed illo volente, & quod ex alto definitum erat.* Non igitur decretum erat duntaxat illo definito consilio, vt Christus pateretur, sed etiam; vt Iudæi interficerent Quanquam vix opus erat testibus. Naturali tantum lumine sufficiente, vt quisque intelligat non potuisse decerni, vt à Iudæis traderetur Christus, quin eadem opera decerneretur, vt Iudæi traderent Christum.

XXVI. In altero loco, *vt facerent, quæ manus tua, & consilium tuum definierat facienda.* Nihil distinctius. Theophylactus. Τοὔτεστιν, οὐκ αὐτοὶ ἴσχυσαν. ἀλλὰ σὺ εἶ τὸ πᾶν ἐπιτρέψας καὶ εἰς πέρας ἀγαγὼν ὁ εὐμήχανος καὶ σοφὸς ὁ τοῖς ἐχθροῖς εἰς τὸ βούλημά σου χρησάμενος. συνῆλθον μὲν γὰρ ἐκεῖνοι ὡς ἐχθροὶ, ἐποίουν δὲ ἃ σὺ ἐβούλου. τί δέ ἐστιν ἡ χείρ σου; ἐνταῦθα μοι τοῦτο (an potius ταυτὸν) μοι δοκεῖ λέγειν, δύναμιν καὶ βουλήν· ὅτι ἀρκεῖ βουληθῆναί σε μόνον· οὐδεὶς γὰρ δυνάμει προορίζει. τοὔτεστιν, ὅσα διέταξας. *Nõ poterãt ipsi, sed tu is es, qui, quicquid id fuit, permisisti, & ad finem perduxisti: tu, inquam, qui facile rem quamq; & perite scis explicare & expedire: tu, qui inimicis ad voluntatem tuam vsus es: illi enim congregati sunt, vt inimici: fecerunt tamen quæ tu volebas. Quid est autem manus tua? hic mihi videtur idem dicere, potentiam & consilium: quia sufficiebat tantum velle: nemo enim potentia quicquam præfinit: significat quæcumque disposuisti.* Num disertius quicquam Caluinus potuit? Permisisti, inquit, sed statim εἰς πέρας ἀγαγών. Non igitur nuda permissio, imo efficax, imo operans, ἐποίουν ἃ σὺ ἐβούλου, *faciebant quæ tu volebas.* Volebat ergo id quod illi faciebant. Faceret ad Bellarmini sententiam, si diceret Theophylactus: imo si diceret & Lucas, Passus est quæ tu volebas. Sed facit ad Catholicorum sententiam, quum dixit, faciebant Iudæi illi. Omnino enim conficitur illa ipsa fuisse in consilio Dei διατεθέντα dispofita, & constituta.

XXVII. Ergo falso Bellarminus negat voluisse Deum, vt Iudas proderet Christum: Iudæi Christum deducerent: sed tantum, vt Christus passione sua mundum redimeret. Nam certe neque Iudas, neque Iudæi illa Christi morte redemerunt orbem, sed duntaxat mortem illam operati sunt, & hoc ipsum, quod illi operati sunt, tribuitur manui, tribuitur consilio Dei: contra quam Bellarminus censet.

XXVIII. Leo nihil habet difficultatis Hoc enim vult, non varia opera, quorum hæc ad Deum referantur, illa ad Iudæos; sed vnum idemq; opus fuisse, quod varie Deus effecerit, & Iudæi: ideoque in vno illo sceleratissimos fuisse Iudæos, Deum autem omnis criminis expertem Sed non definita à Deo fuisse illa ipsa, quæ à Iudæis sceleratis facta fuere, hoc vero ille non dixit. Imo contra potius dixit. *Cum ergo omnia quæ in Christo Iudaica admisit impietas, tanto ante prædicata sint; vt non tam de futuris quam de præsentibus sit sermo contextus: Quid nobis aliud, quam sempiternarum dispositionum Dei incommutabilis ordo recensetur?* Credidit ergo Leo ea ipsa, quæ Iudaica admisit impietas, dispositionem fuisse diuinam: & quidem sempiternam: & quidem incommutabilem.

Cap. V.

An homines sint Dei instrumenta in iis quæ agunt male.

I. SEcundum argumentum Catholicorum: Si homines sint in iis, quæ male efficiunt, Dei instrumenta. Ergo Deus vult ea quæ per eos male efficiuntur. At prius verum. Ergo & posterius. Propositionis consequentia est manifesta; ex natura instrumentorum, quæ non assumuntur ab eo cuius instrumenta sunt, nisi ad efficiendum id ipsum, quod sibi proposuit is à quo vsurpantur.

II. Assumptum probatur: secundi Samuel. 24. *Addidit irasci furor Domini contra Israel: commouitque Dauid in eos dicentem, Vade, numera Israel.* Et 16. *Dominus præcepit Semei, vt malediceret Dauid.* Prioris Reg 22. dicit Deus spiritui malo, qui promiserat se decepturum Achab: *decipies & prævalebis. Vade & fac ita.* Item 11. ac 12. & post. 9. dicitur, à Deo fuisse rebellio Hieroboam contra Roboam, & constat tamen eum peccasse; qui à legitimo Rege defecit. Iobi 1. *Dominus dedit, Dominus abstulit.* Esaiæ 10. *Sennacherib serra in manu Domini, & virga furoris, & baculus iræ eius* & 13. *Ecce ego suscitabo contra vos Medos, qui de argento non cogitabunt, nec aurum desiderabunt: arcubus suis pueros configent: & fructus ventris non miserebuntur: nec parcet filiis oculus eorum.* Et paulo ante. *Præcepi sanctificatis meis*, id est, Medis & Persis, sic appellatis, quia essent instrumenta iræ eius. Hier. 51. *excitauit Dominus spiritum Regum Medorum: quoniam cogitatio eius est contra Babel.* & 50 Rex Babylonis vocatur *malleus vniuersæ terræ.* Ezechielis 12. *rete Dei ad capiendos Israelitas expansum.*

III. Bellarminus distinguit quatuor modos, quibus dici Deus possit impellere, siue inclinare aliquem ad malum, eoque vti tanquam instrumento. Primo: quasi Deus per se & proprie impelleret, vel Physice, id est, mouendo immediate voluntatem: vel moraliter, id est, vere & proprie imperando. Secundo, quia permittit eos male agere. Tertio, quia non solum permittit impios male agere: sed etiam deserit eos, qui affliguntur, & sic donat impiis in eos victoriam: Quarto, vt non solum permittat impios agere: aut deserat pios: sed etiam præsideat ipsis voluntatibus malis: eas regat & gubernet; torqueat & flectat, in iis inuisibiliter operando, vt licet vitio proprio malæ sint, tamen à Diuina prouidentia ad vnum potius malum, quam ad aliud, non positiue, sed permissiue ordinentur.

IV. Ex his quatuor modis, primum esse manifeste falsum, & in Deum impium, ac blasphemum: quia Augustinus neget peccatores compelli à Deo ad peccatum, quia esset iniquitas apud Deum: neget etiam proprie imperari à Deo peccatoribus vt peccent: quia qui tum obtemperarent Deo, laudandi essent. Augustinus in Ioannem tract. 53. Et de gratia, & libero arbitrio capite 20.

V. At ego in hoc modo alterum illud facile concedo, non moueri voluntatem impiorum moraliter à Deo, proprie imperando. Nam si hoc ponitur, non video quomodo damnari possent, qui eos actus perpetrarent. Nam sane Abrahami iamiam occisuri Isaacum filium, & Israelitarum spoliantium Ægyptios, iustitia aliunde non petitur; quam à diserto mandato; quod si tam certum fuisset Iudæ de prodendo magistro, æque liberaretur à crimine: quomodo nihil Petrus peccauit, quum sibi lauari pedes consensit à Christo Domino: quod nisi fecisset iussus, detestandæ audaciæ reus fuisset.

VI. Verum illud alterum de motu Physico, non videtur vsquequaque absurdum, nisi forte in vocabulo illo *Physice* latet aliquis dolus. Sic enim statuo, aut nunquam voluntatem dici posse moueri à Deo physice; aut voluntatẽ etiã impiorũ ita moueri. Et sane, si actiuitatẽ voluntatis separes saltem cogitatione, à praua eiusdem qualitate, tam natu aliter Deus mouet voluntatem impiorum quorumlibet, quam piorum: nimirum, vt prima summaq; caussa, à cuius efficacia inferiores omnes moueri necesse est, aut omnino nihil agere. Hoc tantum est discriminis, quod præter illam generalem motionem, accedit peculiaris per gratiam, qua fit vt voluntates piorum bonæ sint: quæ, cum infidelibus desit; non possunt horum voluntates non esse malæ. Ac sane huic sententiæ non repugnat Augustinus. *Fecerunt peccatum Iudæi,* inquit, *quod eos non compulit facere, qui peccatum odit; sed facturos esse prauidit, quem nihil latet.* Non enim ea significant non moueri physice voluntatem à Deo. Non enim solus motus violentus est motus physicus dictus; sed etiam alius, qui non est violentus: quomodo summa caussa agit per subalternas. Itaque potest aliquo bono sensu dici Deus physice mouere voluntatem, etiam impiorum.

VII. Secundus motus à Bellarmino censetur non alienus. Is est in permittendo. Quemadmodum recte, dicimus à venatore immissum fuisse canem in leporem: quamuis solum funem laxauerit, quo canis retinebatur, ne leporem persequi posset. Sic in historia Iobi, non excitauit diabolum Deus in virum sanctum: sed petenti facultatem concessit eius vexandi. Quia tamen nocere non poterat nisi permissus; ideo Scriptura totam illam effectionem Deo potius, quam diabolo tribuit.

VIII. Sed Catholici, quicquid dici potest, vt constet Deum non esse peccati authorem, facile admittunt, dum ne iniuria fiat eius potentiæ, sapientiæque. Ergo, concedunt diabolum à seipso habere malitiam illam qua incitabatur contra Iobum: Non enim illam ei Deus aut indidit, aut obiecit. Permissionem tamen nudam concedere non possunt. Neque vnquam meminerunt dictum, quenquam facere id quod nullo voluit modo: sed tantum alios volentes permisit facere. Ne in venatione quidem. Non enim dicitur venator canem immittere in leporem, qui quoquo modo funem laxat, quo canis detinetur: sed qui hoc animo laxat, vt canis persequatur eum leporem, qui sese obtulit. Itaque venatori oportet id in animo esse: hoc, inquam, eum velle, vt canis & persequatur & capiat leporem. Et sic facile concedunt Deum permittere malum fieri, nimirum vt ipse velit ex decreto suæ prouidentiæ id fieri: illud, inquam, ipsum quod à malis fit male. Alias, nunquam satis exprimi vim illam, quæ elucet in Scripturæ sermone. Nam, etsi fortasse hoc Iobi exemplum ita possit emolliri, quid aliis facies? Num enim præcipere Semei idem est, ac laxare lora: nihilque præterea. Aut illud, suscitare Medos, nihilo fortius est, quam nude permittere, vt Medi quum volent, veniant? Aut illud, conuertit cor, nobis ita Deum ponet ante oculos, vt expectet dum Ægyptiis in mentem veniat affligere Israelem? Quid denique fiet argumento præced. capitis? Nam qui præfinit certo consilio ea ipsa quæ fiunt mala: is multo plus, quam nude frigideque permittit.

IX. Ad tertium modum refert Iesuita exemplum de decepto Achab. Imperauit enim Deus spiritui impostori: quia non solum permissum, vt loqueretur mendacia per ora Prophetarum: sed etiam non dedit Achabo lumen, quo discerneret mendacium à veritate. Sic Assyrio Rege vsum Deum tanquam virga, baculo, malleo & securi: quia non solum eum permiserit armari, sed etiam deseruerit populum suum.

X. At huiusmodi desertio significat, non id quod affligentium respectu Deus agit: sed tantum, quod afflictorum habita ratione. Hæc vero Scripturæ phrases longe aliter. Nam quum loquitur Deus, *Vade & numera Israel*; tum sermonem dirigit ad Dauid agentem: non ad populum patientem. Deinde illud, *Suscitabo contra vos Medos*; qua arte eludi potest? Itane, hoc tandẽ sibi sumet Iesuita, vt pro arbitrio interpretetur; suscitabo Medum; hoc est, nihil aliud quam deseram Israelitas? Sanius Eucherius in eum locum ex 2. Samuelis de Dauide numerante populum. Quid in hoc facto aliud demonstratur, nisi quia sic pro qualitatibus subditorum disponuntur acta regentium? En tibi non destitutum populum; sed disposita acta regentium.

XI. Sed hos priores modos præuidit Bellarminus leuioris fore momenti, quam vt cordatos viros mouerent. Itaque ad quartum pergit, sed

confidentissime, tanquam omnino satisfacturum. Attendamus: & quidem eo diligentius, quo profertur securius. Deus ergo non tantum permittit impiis, qui secundus erat modus: nec tantum deserit pios, qui tertius, sed etiam, quid? Audiamus, & vocabula numeremus & ponderemus. Sed etiam præsidet malis voluntatibus: eas regit, gubernat, torquet. Quid plura? In eis inuisibiliter operando: vt licet proprio vitio malæ sint; tamen à Diuina Prouidentia, ad vnum potius malum, quam ad aliud, non positiue, sed permissiue ordinentur Et laudat autores Hugonē ac Thomam; Illum lib.1. de Sacramentis p.5.c.19. *De illo autem modo diuinæ moderationis, quo malas etiam voluntates, præsidens occulta & inuisibili operatione, ad suum arbitrium temperat, & inclinat, hoc sentiendum, vt credatur Deus malis voluntatibus non dare corruptionem, sed ordinem*: Et post. *Voluntati ergo malæ vitium est ex ipsa, quo mala est: ordo autē à Deo est, quo per velle, siue ad hoc, siue ad illud est. In voluntate ergo vitium est, & ipsum malū est; & ex ipso voluntas mala est. In velle autem, & vitium est, in quantum velle ex voluntate mala est: & ordo est, in quantum ad hoc, vel illud ex disponente est. Potest ergo voluntas mala in se corrumpi, & resolui per proprium vitium, quod ei aliunde non datur: sed non potest per se velle extra se præcipitari, nisi quia ei via aperitur. Et qui præcipiti qua vult ad ruinam viam aperit, quodammodo ipsam inclinat, non impellendo, sed permittendo, & non tenendo, nec autor illi est ruendi, sed incedendi ordinator.* Thomam autem in 9. ad Rom. non tantum sic permissiue Deum inclinare voluntatem malam in vnum potius, quam in aliud: sed etiā positiue: nō quidem per se & physice mouendo, sed occasionaliter, & moraliter immittēdo cogitationem aliquam bonam, ex qua malus ob suum vitium occasionem sumat iudicandi melius esse, huic nocere, quam illi siue huic potius iniquitati seruire, quam illi. Ex his autem explicari locum illum Psalmi. *Conuertit cor eorum vt odissent populum eius:* secundum Augustinū & Theoderetum; vt id Deus fecerit, non peruertēdo corda Ægyptiorum, sed benefaciendo populo suo: vnde Ægyptij maioris odii occasionem acciperent.

XII. In his vero multa sunt notatu digna. Primo; si sunt ista vera omnia, ergo falsa Scholasticorum sententia est, definientium; malum quidem aut naturæ, aut pœnę velle Deum per accidens. At malū culpę nullo modo. Etenim, si præsidet ipsis voluntatibus malis, si eas regit, gubernat, torquet, flectitque, quo vult; ergo vult aliquomodo; saltem per accidens. Nam malæ voluntates, quo flectuntur, si non ad hunc illumue actum? At hic illeue actus est peccatū. Ergo, vel nō flectit Deus malas volūtates quo vult, vel vult id peccatum Exemplum: fuit in Iscariota voluntas mala: eam Deus flexit quo voluit: at flexit ad tradendum Christum: Ergo Deus voluit Christum tradi. At Christum tradi peccatum fuit. Ergo Deus voluit hoc peccatū. Et quia non potuit fieri, nisi volente Iuda; & quidem male volente: Ergo Deus voluit Iudam velle male, per accidens tamen: non enim per se; sed vt id fieret quod primum erat in intentione. Voluit enim mundū redimi: hoc per se: & reliqua omnia propter hoc: vt crucifigeretur; vt traderetur Pilato à Iudæis, vt traderetur Iudæis ab Iscariota: vnde tandem & Iscariota daret pœnas & Iudæi.

XIII. Secundo: Recte igitur Caluinus exagitauit nudam illam permissionem. Nullo modo vult malum culpæ, inquiunt Sophistæ: sed malū naturæ & pœnæ per accidens. Et rursus: nullo modo vult malum culpæ: sed tantum permittit. Ergo, concludebat Caluinus, Permissio illa nullo modo est voluntas, ne per accidens quidem. Et sperent inueniri quenquam tam stupidū vt credat Deum id, cui præsideat, quod regat, gubernet torqueat, flectat nullo modo velle, ne per accidens quidē? Aut quod nullo modo velit, ne per accidens quidem ei tamen præsidere. id, regere, gubernare, torquere, flectere?

XIV. Tertio. Quin ergo comprimunt vocē sceleratam Sycophantæ? quin abstinent calumniis in Caluinū, Martyrem, Bezam? Aut cur in illis improbent, quod in Hugone probant? Dixit Caluinus Institut.2.c.4.§.2. *Proprie agere dicitur Satan in reprobis, in quib. regnum suum; hoc est, nequitiæ exercet. Dicitur & Deus suo modo agere, quod Satan ipse (instrumentum quū sit iræ eius) pro eius nutu ac imperio huc atq; illuc se inflectit ad exequenda eius iusta iudicia.* Displicet hic Hayo, quod dicitur diabolus homines seducere ex nutu atq; imperio Dei. Atqui dixit Hugo; ordinē, quo voluntas illa mala, siue ad hoc, siue ad illud est: eū, inquam, ordinē esse à Deo Potestne vero esse à Deo, vt non sit ab eius imperio? non sit ab eius nutu? Rursus §. 3. dixit Caluinus, Deum consilia impiorū destinare, quo visum est, & voluntates excitare, & conatus confirmare. Id seuere exagitat Hayus. Quasi vero is nō destinet, qui ad vnum potius malū, quam ad aliud ordinat. Quasi vero is non excitet, qui non tantum impios permittit agere: sed etiam præsidet, gubernat, regit, torquet; flectit quo vult, in eis inuisibiliter operando: imo donat impiis in pios victoriam, vt Bellarminus loquitur. Breuiter: facile quicumque volet: agnoscet in Sycophantis, vere caninam rabiem, quæ sibi hoc tantum proponit, vt viris bonis inuidiam conflet, quo iure, quaue iniuria.

XV. Quarto: Quod regi, gubernari, torqueri: flecti improbos à Deo Bellarminus explicat, non positiue, sed permissiue: hoc si in eligatur; vt postea Hugo explicat, non omnino improbarim: nempe malis voluntatibus non dare corruptionem, quibus vitium sit ex seipsis, non a Deo. Certe hæc oppositio longe sæuior est, quam illa voluntatis & permissionis, quam merito Caluinus detestatur. Reuocent igitur Papistæ tritam illam scholarum suarum oppositionem, quæ permissionem non distinguit tantum, sed etiam separat, imo opponit voluntati: & hanc potius eligant, ac confecta pax erit. Nam certe, si nihil illis permissiue significat, quam positiue; Et hoc nihil aliud, quam id quod iam diximus, non erit quod repugnemus.

XVI. Sed solent Sophistæ in longe alium sensum, illud suum *positiue* vsurpare: vt referatur ad *velle*, & *non positiue velle*, idem sit ac si dicerent, non poni vllam in Deo voluntatem; sed tantum permissionem Qua notione quid potuit monstrosius dici? Præsidet (inquiunt) regit, gubernat, torquet, flectit; Esto Sed quomodo? nō positiue, sed permissiue. Itane? Et poterunt hęc à quoquā sic intelligi, vt nulla sua voluntate Deus presideat: nulla voluntate regat? absque vlla voluntate gubernet, torqueat, flectat? Est tamē præsidere, regere, gubernare, torquere, flectere: est, inquā omnino aliquid agere: & agere quidem vere realiter, & physice. Iam vero efficiendi dantur hi modi, naturaliter, voluntarie, coacte. Naturaliter, in iis quæ voluntate carent: vt sol agit nulla voluntate in stirpes. Voluntarie, vt quibus à voluntate initium suorum operum; vt Ciceroni orandi, scribendi. Coacte, quibus vis maior abutitur contra eorum voluntatem ac naturam. Quid ergo de Deo dicemus? Nam aut dandi sunt plures modi agendi: aut sint tantum, & à Deo auferatur voluntarius; necessario Deus aget per naturam, aut coacte. Agitne ergo per naturam solum, cum gubernat, regit, torquet, flectit impias voluntates? Ergo irrationaliter agit. Quis ferat? An ergo coacte? periit Omnipotentia. Superest ergo, vt voluntarie agat; id est, gubernet, regat, flectat, & cætera: & si voluntarie, ergo nonnulla voluntate. Itaque illud: *regit non positiue* εἰς κόρακας.

XVII. Enimuero, quid fiet Iosepho, dicenti, *Vos cogitastis in me malū: Deus autem cogitauit illud in bonum*? Quid Petro, qui præfinitio consilio Christum traditum? An nobis rursus excudent cogitationem non positiuam: præfinitionem non positiuam: consilium non positiuum? hoc est, non cogitationem, non præfinitionem, non consilium? Certe neque cogitatio, naturalis est impetus: neque consilium cæcus motus: sed neutrū necogitari quidem potest, absq; voluntate: volnutate, inquam, positiua, quandoquidem balbutiendum cum Sophistis est. Nec potest negari illum voluntate agere, qui cogitatione agit, qui consilio agit.

XVIII. Sed vide mihi Sophistarum vanitatem. Videri volunt magnum aliquid expromere, atque ex adytis mysteria maxima enunciare, quum distinxerunt tres gradus. Non modo permittit malos agere: sed etiam deserit bonos: nec modo & permittit malos & deserit bonos, sed etiam præsidet, regit, gubernat, torquet, flectit. Quis non crederet, vt secundum à primo, sic tertium ab vtroque distare? & tamen nunc ista fiunt omnia non positiue, sed permissiue. En tibi quod dicitur, θησαυρὸς ἄνθρακες: id est enim dicere, non modo permittit, sed etiam deserit: non modo permittit, & deserit; sed etiā permittit. Aut quia permissio est voluntas non positiue, rursus idem ac si diceret: non tantum vult non positiue: sed etiam deserit: nec tantum vult non positiue, & deserit; sed etiam vult non positiue. O magnam Sophistarum liberalitatem; quæ id det quod neget: id neget quod det! Nimirum ἔχθρων ἄδωρα δῶρα.

XIX. Præterea, quomodo consentit hoc quicquid est monstri, cum Hugonis contextu? Nam hic discrete dicit, malis voluntatibus a Deo dari ordinem. Quid hic Bellarminus aget? Nam primo, ordo bonus est. Id notum non tantum à se: sed etiam ab Hugone opponente ordinem corruptioni ac vitio. *Credatur Deus, malis voluntatibus non dare corruptionem, sed ordinem. Voluntati ergo malæ vitium est ex ipsa, quo mala est; ordo autem à Deo est.* Dat ergo Deus, voluntati malæ ordinem: & hic ordo bonus est. Asseretne Bellarminus etiam in bonis agere Deum non positiue? Quod si absurdum est: ergo in malis voluntatibus Deus aget positiue; quia illis dat ordinem.

XX. Quin dixit Hugo, dari quidem ordinem, at non corruptionem: ergo, eo modo intelliget dari ordinem, quo non dari corruptionem. At si verum quod scholæ garriunt, malum culpæ velle Deum permissiue: & permissiue ac non positiue idem: Ergo & non positiue volet Deus malum culpæ, id est, corruptionem, & non positiue ordinem illum, id est, eodem modo vtrumque: quod est contra Hugonis mentem.

XXI. Deinde: *voluntati malæ* (inquit Hugo) *vitium est ex ipsa: ordo autem à Deo est.* An dubitet quisquam, Hugoni, esse vere à Deo ordinem illum, quemadmodum a voluntate vitium? Quomodo igitur non est à voluntate vitium non positiue: sic non erit ordo a Deo non positiue: sed vtrumque potius positiue. Est autem ordo à Deo, non aliter, quam quomodo datur: si detur positiue, erit positiue: si detur non positiue: erit etiam non positiue: ex relatorum natura. Itaq; Hugonis sententia est, dari hunc ordinem a Deo malis voluntatibus positiue, id est, vere dari. Et poterit nunc Bellarminus animo concipere, eum, qui malis voluntatibus dat ordinem positiue, iisdem præsidere non positiue: eas regere, gubernare, torquere, flectere non positiue? Nam præsidere, regere, gubernare, sunt ne aliud quam dare ordinem?

XXII. Et tamen, quasi nondum satis esset absurditatum, huc deuenitur, vt non tantum permissiue, ac non positiue Deus inclinet voluntatem malam, sed etiam positiue: at non per se & physice. Agnoscite hinc, quanti constet mendacii patrocinium: quanti veritatis impugnatio: quandoquidem tam leuiter huc illuc aduersarii desiliant: vix vsquam fixi firmiq; Mouet igitur, non per se, inquit, & physice, sed occasionaliter & moraliter. Hoc vero, quid esse potest? Nam primo, cum ageret de primo mouendi modo, Bellarminus illud mouere moraliter; abiecit, vt impium, nunc autem concedit: sic Iesuitæ didicerunt ex eodem ore calidum & frigidū spirare. Deinde mouere physice Deum malas voluntates aliquomodo, iam diximus, & omnino ita est necesse, si Hugoni sua constet veritas.

XXIII. Sed rursus, mouet non per se. Hoc iterum quęro quid sit: Nam si per se, idem est, ac absq; vllo medio, & sua sola vi, voluntateque, ac potentia; quomodo quispiam per se moueat lapidem, cui nulla vis est ad mouendum: quorsum hoc? aut quis sic asseruit moueri à Deo voluntates malas? Catholici certe, vt expositum est capite secundo, credunt Deum vti voluntatibus malis, vt igne calido; vt aqua frigida: hoc est, instrumentis, quibus iam aliqua vis inest ad mouendum sese, & sic mouendum. Credunt etiam aliter agere in voluntatibus bonis, quam in malis. In illis proprie, & si ita vult Bellarminus, per se, non quia nō habent hæ vim mouendi se, quatenus voluntates, sed quia non habent vim mouendi bene; nisi instillata eis, à mouente Deo, bonitate. In his vero quodammodo (atq; hoc vocabulum est Caluini) nimirum, quia tales relinquens, quales inuenit; hoc est, corruptas & a seipsis malas; eas tamen mouet, vt agens principalis solet instrumenta. Itaque remote tantum agit, vt prima, summaq; causa: sed tamen physice, etsi non per se illo sensu.

XXIV. At si, *non per se*, non tantum malum excludat: sed etiam omnem veram, ac positiuam actionem, in vniuersum: ac præterea significet Deum sic non mouere impios, vt non tantum, non infundat malum, quod iam ipsi habent à seipsis: sed ne quidem agat quicquam in iis mouendis: neque dici queat summa causa earum actionum: id vero Catholici absur-

absurdum esse dicunt. Enimuero, qui potest voluntatibus præsidere non per se? & quidem præsidere, non spectando, sed gubernando, regendo, torquendo, flectendo? Nam si inclinare tantum diceretur; posset fortasse concedi, vt quum equus ferociter ruptis vinculis, petulceque exultans, proposito hordeo in stabulum reducitur: aut volucres obiecta esca in laqueos inducuntur: tum siue equos, siue aues inclinari quis non inficiatur? quanquam id quod in iis agitur proprie positiueque velit is qui inclinat, quod Sophistæ Deo nõ concedunt. Sed præsidere, gubernare, regere, arte sua sic equos moderatur, vt non tantum positiue velit eos in dextram sinistramue ire: sed etiam aliquid proprie, positiue & per se operatur, vt eos in eam partem inflectat.

XXV. Denique; vt omnia cætera dissimulemus, quid fiet æterno illi consilio, quod superiori cap. tractatum assertumque est. Constat igitur, æterno Dei decreto, præuisum, præfinitumque esse id, quod mala voluntas impie agit. Placetne Bellarmino Deum, non per se ab æterno decernere? aut non positiue, non physice, decernere? aut occasionaliter? aut moraliter?

XXVI. Nihil igitur promouit distinguendo. Sed, neque aptius locos singulos interpretatur. Commouisse Deus dicitur Dauidem ad numerandum populum: secundo Samuelis. At, inquit, Paral. 1. cap. 21. *Consurrexit Satan contra Israel, & incitauit Dauid, vt numeraret Israel.* Ergo, qui proprie Dauidem incitauit ad peccatum, non Deus fuit, sed diabolus. Omnino ita est, inquam, nec aliter Caluinus. Verum ad idem peccatum, quodammodo eundem Dauidem Deus incitauit: nempe ad peccatum sub ratione peccati diabolus: sed ad peccatum, sub ratione actionis, Deus: hoc est, ad actionem proprie: ad peccatum vero per accidens, Deus: At contra ad peccatum proprie & per se diabolus.

XXVII. Semei Deus præcepit maledicere Dauidi. Nempe, inquit Bellarminus, corruptam eius voluntatem inclinauit, non compellendo, sed aperiendo viam ad hoc malum; & claudendo ad alia; id est, permittendo, vt hoc solum malum veller, & perageret, ex multis ad quæ paratus erat. Intelligo, quomodo hortulanus irrigaturus oleas, aquam iam a se pronam deducit, obstructis aliis viis omnibus; aut quomodo Romania quam Albanam prohibuerunt suo flumine in mare manare. Adeo magnifice de Dei prouidentia Iesuitæ sentiunt.

XXVIII. At longe aliter Lyranus. *Dauid videns Semei solum & intrepidum, ita constanter & intrepide sibi iniuriantem, & manifeste coram bellatoribus multis fortissimis & audacissimus, & ad vindicandam Regis iniuriam promptissimis, perpendit, quod hoc non proueniebat ab ipso Semei tantum; sed à Deo specialiter hoc agente; & hoc vocauit præceptum Dei. Et licet Semei in hoc peccauerit voluntate iniqua maledicens Dauid, non tamen propter hoc Deus fuit causa peccati, in quantum peccatũ est. Ad cuius intellectum, sciendum, quod ad peccatum plura concurrunt, scilicet potentia, qua peccatur, quæ est ad liberum arbitrium, & motus liberi arbitrij in consensum, & ad impulsum potentiarum executiuarum: & totum istud est à Deo, qui est autor naturæ, & executionum eius. Est etiam ibi deformitas in actu: quæ est quidam defectus, ex quo actus habet rationem peccati: & huius Deus non est causa, sed defectibilitas liberi arbitrij.* Et paulo post. *Sic igitur potest dici, quod constantia & audacia, quæ fuit in Semei Dauid impetendo; & entitas illius actionis, totum fuit à Deo, vt per hoc Dauid puniretur: sed deformitas, seu defectus, scilicet quod iniqua voluntate hoc fecerit; hoc non reducitur in Deum, sicut in causam, sed in liberi arbitrij defectibilitatem.* Notet Bellarminus Deum specialiter hoc egisse. Nam spiritualiter; quod nescio quam ob causam irrepsit in editionem Lugdunensem procuratam à Feuardentio; omnino nihili est: itaque corrigendum ex vetustioribus exemplaribus, quæ legunt *specialiter*. Notet præterea eius actionis entitatem totam esse à Deo: & videat vtrum id explicari possit per aperire, & claudere. Addat Eucherium *Quid in hoc facto aliud demonstratur, nisi quia sic pro qualitatibus subditorum disponuntur acta regentium?* Et post. *Quia videlicet secundum merita plebis disponuntur corda rectorum.* Agnosce dispositionem actorum: nec tantum actorum, sed etiam cordium.

XXIX. De spiritu à quo deceptus est Achab; respondet obtulisse ipsum se Deo: nec tam imperio, quã permissione diuina egisse: quum & promptissimus ad omne malum, & cupidissimus esset nocendi.

XXX. At hoc non est respondere: Conceditur enim, non diabolum solum, sed & omnes malos tum promptissimos esse ad omne malum, tum cupidissimos peccandi: sed hoc quæritur, vtrum illi sic promptissimi, sic cupidissimi, agant nullo modo volente, nullo modo operante Deo. Itaque instat Caluinus, *Si Dei iudicium est*, inquit, *excæcatio & amentia Achab, nuda permissionis figmentum euanescit, quia ridiculum esset, iudicem tantum permittere, non etiam decernere quid fieri velit, & mandare executionem ministris.* At fuit iudicium: probatur ex ipso textu. *Vidi Dominum sedentem super solium suum.* Ergo, nudæ permissionis figmentum euanescit.

XXXI. Bellarminus huic instantiæ respondet, Augustino visum non esse ridiculum, iudicem tantum permittere: cap. 23. libri de Gratia & Libero arbitrio. *Quum auditis*, inquit, *Ego Dominus decepi Prophetam illum: & quem vult indurat: eius merita cogitate, quem sic obdurari & seduci permisit.* Nempe, quia potest iudex decernere non impedire, vt alter alteri noceat.

XXXII. At hæc tergiuersationis plena sunt. Primo: Nam cui quid permittitur, ab eo primi motus veniunt, non autem ab eo qui permittit. At hic primi motus repræsentantur esse à Deo, quærente, quis Achabum deceptурus esset: ac tum offert se Spiritus ille. *Vidi*, inquit Micheas, *Dominum sedentem super solium suum, & omnem exercitum cæli, assistentem ei à dextris, & à sinistris: & ait Dominus, Quis decipiet Achab Regem, vt ascendat, & cadat in Ramoth Galaad?* Quæ verba repræsentant Dominum, qui decreuisset iam vt deciperetur Achab, quærentẽ instrumentum, à quo id efficeretur. Ergo, non simpliciter sese Sathan offert, sed quærenti, ac ferme sollicitanti, & post decretum Dei sedentis in solio, id est, iudicis, acproinde decernentis. Est autem aliud decernere, aliud permittere. Ad Augustinum quod attinet, scio vsum permissionis voce: Non tamen nudæ: sed coniunctæ cum decreto, siue voluntate, qua de re postea suo loco.

XXXIII. De Hierobeam & Iehu, nonnihil de permissione submurmurat. Verum probabilius dici posse, vtrumque fuisse legitimum Regem, qua de re prolixiuscule disputat, sed inutiliter. Caluinus enim non inde sumit argumentum, quod fuerint iniusti Reges: sed quod, etsi fuerint à Domino electi, tamen populus, quod iis obtemperauit, improbe fecerit. *Iam*, inquit, *quomodo ex Dei sit, & occulta prouidentia regatur, quod peruerse faciunt homines, illustre documentum est electio Regis Ieroboam, in qua seuere damnatur populi temeritas, & amentia, quod ordinem à Deo sanctum peruerterit, ac perfide desciuerit à familia Dauidis: & tamen scimus voluisse vngi.* Et postea. *Quod Ieroboam nihil tale cogitantem, Prophetæ & vocis & unctionis tessera ad spem regni sollicitat, non fit hoc, vel nescio, vel inuito Deo, qui ita fieri mandauit: & tamen iure damnatur populi rebellio, quod velut inuito Deo, à Dauidis posteris desciuerit.* Rursus, *Accedat simile quoque aliud exemplũ, vbi consentiente populo, imo manus suas præbente, iugulantur filij Regis Achab, & exterminatur tota progenies: vere quidem refert Iehu, nihil interram cecidisse ex Dei sermonibus: sed ipsum fecisse quicquid loquutus fuerat per manum serui sui Eliæ. Et tamen non abs re, ciues Samariæ perstringit, quod operã suam commodassent.* Vident omnes à Caluino in culpam trahi non Ieroboam, aut Iehu, sed duntaxat populum, non legitime à Dauidis familia desciscentem; aut Regis sui progeniem exscindentem: etsi alioquin Deus vtrumque & voluisset, & decreuisset.

XXXIV. Proponamus argumentum παχυμερέστερον. quandoquidem vim illius dissimulauit Bellarminus: Iehu Regem esse, & Achabi progeniem exscindi, Deus voluit: voluit & populus. Ergo, Deus idipsum voluit & populus. At populus idipsum voluit scelerate: ergo, Deus voluit idipsum, quod populus scelerate voluit. Probatur populum scelerate voluisse; quia ob id ipsum punitus est à Deo. Hic Bellarminus, aut Iehu fuisse legitimum. Distinguo, aliud est legitimum Deo, aliud legitimum populo. Illud concedo: hoc nego: Nam si legitimus populo; ergo non peccauit populus obediendo. At peccauit: probatur: quia punitus est. Ergo, non legitimus populo. Si legitimus Deo, nam hoc vtrique concedimus: & non legitimus populo: ergo, vnum idemque opus, à Deo recte, iusteque fiebat, à populo autem, inique & peruerse: & quis Deus volebat Iehu regnare: nec regnauit, nisi vsus populi viribus: ergo, Deus per populum peccantem, exequutus est suum iustum decretum, de Iehu constituendo rege. Ac proinde verum: Deo peccatores esse pro instrumentis.

CAP. VI.

Quomodo Deus induret & excæcet impios.

I. TErtium argumentum Catholicorum; ab induratione atque excæcatione cordium: quam esse a Deo, patet ex Scripturis. Induratio, siue excæcatio cordis est a Deo efficaciter volente. At induratio & excæcatio cordis est peccatum: ergo, quoddam peccatum est à Deo efficaciter volente. Assumtio conceditur vtrinque.

II. Probationes maioris istas Bellarminus colligit. Exodi 7. 8. 9. *Induravit Dominus cor Pharaonis.* Deuter. 2. *Induravit Dominus spiritum Sehon.* Iosue 11. *Domini sententia fuerat, vt indurarentur.* Primi Samuel. cap. 2. *Non audierunt vocem patris sui, quia voluit Dominus occidere eos.* Prioris Reg. 12. *Non acquieuit Rex populo, quoniam auersatus fuerat eum Dominus.* Iob. 12. *Qui commutat labium veracium: doctrinam senum aufert: qui immutat cor principum, & decipit eos, vt frustra incedant per inuium: palpabunt quasi in tenebris, & non in luce, & errare eos faciet, quasi ebrios.* Esaiæ 19. *Dominus miscuit in medio eius spiritũ vertiginis.* Et 63. *Quare errare nos fecisti de vtu tuo: induraſti cor nostrum, ne timeremus te?* Ieremiæ 20. *Seduxisti me, Domine, & seductus sum:* Ioannis 12. *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Esaias, Excæcauit oculos eorum, & induravit cor eorum* Ad Roman. 1. *Tradidit eos Deus in reprobum sensum, vt faciant, quæ non conueniunt.* Et 9. *Cuius vult miseretur, & quem vult indurat.*

III. Respondet, Deum esse causam excæcationis, & indurationis, non positiue, sed negatiue: videlicet permittendo, deserendo, non miserendo. Idque docere Augustinum epist. 105. *Non obdurat Deus impartiendo malitiam, sed non impartiendo misericordiam.* Ad Simplicianum quæst. 2. *Obdurare Deũ, est nolle misereri: nec ab illo irrogatur aliquid, quo sit homo deterior: sed tantum, quo sit melior, non erogatur.* In Ioannem tract. 53. *Sic excæcat Deus, sic obdurat, deserendo, non adiuuando, quod occulto iudicio facere potest, iniquo non potest.* Chrysostomum etiam hoc illustrare exemplo ducis, suos milites in acie deserentis.

IV. At hæc responsio, nulla est. Primo probat ille quidem ex Augustino, Deũ indurare deserendo, & non miserendo. Sed permittendo, hoc vero ille non probat. Quanquam si dicatur hoc ipsum bono sensu, posset admitti; vt postea disputabitur, quum ad Augustini sententiam deuentum erit. Itaque interim hoc quicquid est verbi, seponamus. Secundo igitur, male distinguit Bellarminus: Nam verum est, Deum indurare, deserendo, & non miserendo: & tamen bonum est argumentum: Quæ hæc induratio, & excæcatio, quæ fit deserendo, & non miserendo, est à Deo efficaciter volente.

V. Argumenta mihi. Primum, quia excæcatio est, non tantum peccatum, sed etiam pœna peccati, & causa peccati. Probatur ex Augustino libri contra Iulianum 5. c 3. *Cæcitas mentis, quam solus illuminator Deus: remouere potest, & est peccatum, quo in Deum non creditur, & est pœna peccati, qua cor superbum, digna animaduersione punitur: & est causa peccati, quum aliquid mali caci cordis errore cõmittitur.* Atq; hanc distinctionẽ ipse Bellarminus admittit. At iam obseruatum, Deum velle, & quidem efficaciter, pœnam peccati. Ergo, nihil obstabit, quominus efficaciter velit excæcationem. Rursus, probatum est Deum velle peccatum per accidens; nimirum, quia est pœna peccati. Ergo eandem obdurationem volet propter eo, quatenus pœna est peccati: & per accidens, quatenus est peccatum, ac proinde etiam, quatenus est causa peccati.

VI. Alterum argumentum: Quicquid decernit iudex iustus, id vult efficaciter. At Deus iustus iudex decernit excæcationem. Ergo, Deus vult excæcationẽ efficaciter. Maior per se nota. Minor probatur: primo,

quia, vt iam visum est, excæcatio est pœna peccati. At omnis pœna peccati decernitur à iudice. Secundo, quia idipsum docet Sacra Scriptura. Prioris libri Samuelis 2. *Non acquieuerunt voci patris sui, quia voluit Dominus occidere eos.* Ad Roman. 1. *Mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in efformatam effigiem mortalis hominis, & volucrum, & quadrupedum & reptilium. Quamobrem etiam tradidit eos Deus cupiditatibus cordium ipsorum, ad impuritatem.* Post. ad Thessal. 2. *Pro eo, quod amorem veritatis non receperunt, vt saluifierent; propterea igitur mittet illis Deus efficaciam deceptionis, vt credant mendacio.* Imo Iosue 11. cum Hebraice sit *A Ihouah fuit, quod obfirmabant cor suum:* Latinus interpres dixit, *Domini sententia fuerat, vt indurarentur corda eorum: & pugnarent contra Israel, & non mererentur vllam clementiam, ac perirent.*

VII. Sed Bellarminus respondet, solam permissionem ac desertionem, qua fit, vt homo destituatur auxilio diuino, esse grauissimam punitionem. At hoc nihil est aliud, quam manus dare: cum enim concedatur syllogismi assumptio, tum non negatur propositio. Esto sane illa desertio, iusta punitio. Sed hoc supererat Bellarmino, vt hanc iustam punitionem separaret ab efficaci voluntate, quod nunquam potuit, nunquam poterit.

VIII. Tertium argumentum ab ipsis Scripturæ phrasibus. Martyr in 1. ad Rom. *Quod si meum iudicium requiratur, dicerem præter illam desertionem, aut gratiæ subtractionem, qua contingit propter peccatū, & in confesso est; has loquutiones, tradendi, obcæcandi, obdurandi & seducendi, aliquid amplius notare. Quia negare non possumus, à Deo multas occasiones proponi quæ videntur, in hominibus gratia & spiritu destitutis, malas cupiditates irritare, iisq; in ruinam esse.* Sensus est, verba excæcandi, indurandi, tradendi, actionem, & efficaciam significare. Itaque Scripturam, quæ iis vtitur, voluisse tribuere Deo actionem, efficaciamque indurationis, excæcationisque, non tantum nudam permissionem, aut desertionem.

IX. Et sane, si nihil esset præter desertionem, ac permissionem, & aliquid simile: quid amplius significaretur præter peccatum? Nam fatentur omnes indurationem & excæcationem, præsupponere iam præcedens peccatum: & manifestissimi sunt in eam rem Scripturæ loci in præcedenti argumento: Idololatræ Ethnici; ergo, traditi suis cupiditatibus. Increduli homines; ergo, immissa in eos efficacia deceptionis. Quid ergo? non iam decreuerat, non permiserat, quum in hæc præcedentia scelera sese præcipites darent? Vt iam tandem deserere oportuerit, quum progrediendum fuit? Absurdum. Nam, si non deseruisset, quomodo admissa fuissent? Haud aliter permisisse Pharaoni, dicendum, vt affligeret Israelitas: indurasse vero insuper, vt ne eos, etiam vehementer monitus, imo seuere castigatus dimitteret.

X. Itaque, vt constent omnia, intelligendum quum in peccando duo sint gradus, vnus incipiendi alter perseuerandi; vtrumq; similiter à Deo esse, efficaciter volente. Hoc est, quemadmodum in incipiendo peccato, quidquid est entitatis, vt loquebantur Scholastici, huius inceptionis, nisi à Deo esse non potest, cum defectus sit ab ipsis peccantibus: sic in perseuerando, quicquid proprie actionis est, & entitatis, ab eodem fonte procedere, nimirum à iusto iudice Deo: reliquum quicquid est, quod quidem peccatum non esse non potest, ad homines diabolum que referri. Ac proinde, quemadmodum peccatum in inceptione Deus vult per accidens; sic & in perseuerantia.

XI. Ad hoc argumentum, Bellarminus respondet hanc desertionem, secundum morem loquendi Scripturæ, recte significari per vocabula actionem exprimentia, quamuis reuera non sit actio, sed actionis omissio. Argumenta. Primum: quia 2. Sam 12. dicitur Dauid occidisse Vriam Hetæum, quum tamen non per se occiderit, nec iusserit proprie occidi, sed tantum imperauerit deseri. Secundum. Caluinus instit. lib. 2. c. 4. §. 3 admittit Deum sæpe obdurare solum deserendo; quamquam addat, alia esse testimonia, quæ vltra procedant. Tertium: quia actio excæcandi, & indurandi, interdum tribuatur etiam iis rebus, quæ sunt occasiones potius, quam causæ actionum. Exod. 23. Eccles. 20. munera dicuntur excæcare oculos sapientum. Sic creaturæ factę in muscipulam pedibus insipientium; Sap. 14. Sic vinum & mulieres facere sapientes apostatare. Eccles 19. Sic patientia Dei aliquomodo indurare, 2. ad Rom.

XII. Sed verborum significatio à nobis est satis confirmata. Ad primum argumentum, respondeo, Dauidem non simpliciter deseruisse Vriam: nam si hoc, nunquā diceretur eum occidisse; alioquin, quicumq; fugiunt à prælio, quia deserunt commilitones, dicerentur eosdem occidere: quod est falsum. Quid ergo? Nempe Dauid hoc ipsum intēdit, & voluit, & positiue voluit, & efficaciter voluit; nimirum, vt occideretur Vrias: ac proinde media quæ fuit ad id exequendum commodissima: delegitque hoc ipsum Itaq; eius imperio factum, vt desereretur. Quare recte ab hoc exemplo concludimus, quemadmodum Dauid, vere & realiter voluit mortem Vriæ: quia vere auctor fuit desertionis, propter quam occisus est Vrias, etiamsi ab ipso non occisus. Sic vere & proprie velle Deum hominum peccata, quia desertionis vere ac proprie auctor est, per quam fiunt peccata: etsi non ab ipso fiant eadem peccata. Hoc interest duntaxat, quod cum Dauid, mala sua voluntate, mortem Vriæ voluit, vere peccauit volendo. At Deus bona sua voluntate, volens ea peccata, non peccat: ideoque ea peccata non sunt respectu Dei, sed tantum respectu hominum. Secundo, concedendum, non per omnia quadrare exemplum. Nam, etsi Dauid fuerit causa desertionis; tamen moraliter tantū fuit causa, iubendo. At Deus non est moraliter causa indurationis. Præterea: Dauid non fuit, imo ne esse quidem potuit, causa realiter mouens entitatem illius desertionis: at Deus est vere causa mouens entitatem omnium actionum. Hæc igitur probatio nulla est.

XIII. Ad secundum, quod de Caluino dicitur, est falsum, nimirum, admitti ab eo sæpe Deum obdurare solum deserendo. Adscribo locum totum, ex quo particulam Bellarminus decerpsit, an discerpsit potius? *Nos ergo dupliciratione respondemus id fieri. Si quidem, cum sublato eius lumine, nihil quam caligo & cæcitas superfit: cum ablato eius spiritu, corda nostra in lapides obdurescant: cum cessante eius directione, in obliquitatem contorqueantur: vtte excæcare, indurare, inclinare dicitur, quibus facultatem, videndi, parendi, recte exequendi adimit. Secunda ratio, qua multo propius accedit ad verborum proprietatem: quod ad exequenda sua iudicia per ministrum ira sua Sathanam & consilia eorum destinat, quo visum est, & voluntates excitat, & conatus firmat. Sic, vbi recitat Moses, Sehon Regem transitum non dedisse populo, quia indurauerat Deus spiritum eius, & cor obfirmauerat, finem consilij mox subiungit, vt daret eum in manus nostras, inquit: ergo, quia perditum Deus volebat, obstinatio cordis, diuina fuit ad ruinam præparatio. Secundum priorem rationem. istud videtur dictum: aufert labium à veracibus, & rationem tollit à senioribus. Aufert cor ab iis, qui præsuni populo terra: errare eos facit per inuiū. Ie quare dementasti nos, Domine: induraſti cor nostrū, ne timeamus te? Quandoquidem indicant potius quales Deus homines faciat deserendo, quā qualiter opus in ipsis suum peragat. At sunt alia testimonia, qua vltra procedunt, qualia sunt de Pharaonis indurationē: Indurabo cor Pharaonis, ne vos audiat, ac dimittat populum. Postea dicit se aggrauasse cor illius, & roborasse. An indurauit non emolliendo? id quidem verum est: sed plus aliquid fecit, quod obstinatione pectus eius obfirmandum Sathanæ mandauit.*

XIV. Hæc ille. Non ita sentiens, alias quidē in indurandis, aut excæ ādis hominibus Deū nihil agere, nisi eos deserat: alias vero vlterius progredi. Hoc enim illi nunquam venit in mentem, vt nō omnia subiiceret certissimæ Dei prouidentiæ infinitæq; potentiæ. Sed sensus est, in hominum indurationē, atq; excæcationē, duo esse distincte consideranda: primo, eos, qui sic indurantur, excæcantur q; à Deo deseri subducto lumine, spiritu, & directione: adeo, vt sui sibi solis viribus, hoc est, suæ corruptioni permissi, male agant; nec aliud q̄ male agant. Deinde vlterius progrediēdo, ab eodē Deo, eorundē & consilia dirigi, & voluntatē excitari, & conatus firmari. Porro Scripturā sic loqui, vt aliquādo desertionē illam solum suis verbis indicet: aliquādo etiā hāc operationē, atq; adeo totā actionē ab vna earū partium denominare: sic nimirū, vt & posteriores phrases desertionē supponant: & priores operationē non excludant. Quemadmodū in salutis mysterio; quia vtrumq; oportet concurrere tum fidem nostram, tum Christi mortē. Ita tamen Scriptura loquitur, vt aliquando fidem solā nominet, *Iustus ex sua fide viuet*: aliquando tantū Christi merita, *Iustificati eius sanguine, seruabimur nunc multo magis per eum ab ira.* Quæ phrases non significant varios seruandi hominis; alios per fidem solā, alios per Christi merita: sed tantū significant Scripturā, quum loquitur de ea salute, aliquando fidē nominare, suppositis Christi meritis: aliquando vero Christi merita, fide non secluſa. Itaq; Bellarminus Caluini mentem non percipit.

XV. Ad tertium. Nihil mirum eadem phrases vsurpari, tum de Deo, tum de Creaturis, diuersa ratione. Certe seruare Deus homines dicitur: & tamen Paulus 1. ad Timoth 4. *& teipsum seruabis, & eos qui te audierint.* Imo, ipse Christus Matth. 9. ἡ πίστις σε σέσωκέ σε *Fides tua seruauit te.* Quum tamen Deus seruet, vt vera causa: Timotheus, vt instrumentum: fides, vt medium. Sic misereri hominibus tribuitur, qui afficiuntur aliquo sensu alienæ miseriæ: & Deo, qui eripit à miseria. Similia sunt alia plurima. Itaque rationis diuersitas ex locorum collatione colligenda. Quia enim de Dei consilio & decreto, atque adeo efficacia, etiam in iis operibus, quæ mala sunt, disertius Scriptura loquitur, quam vt vllus de occasione, aut simplici desertione suspicari possit, prout constat ex præcedentibus argumentis: Ergo, qui ex similitudine quarundam phrasium, colliget Deum occasionem esse cæcitatis, neque quicquam præterea: quomodo munera: is sese necessario ostendet rem totam nunquam cognouisse. Id manifestum si inuertas. Nam si quis ex eadem similitudine concluderet eodem prorsus modo munera excæcare homines, quo Deum, ineptus sit; quum, vt antea probatum, nec quisquam negat, certo consilio hos Deus excæcet; quod in muneribus nullum esse possit.

XVI. Quartum mihi argumentum à necessitate. Nam huiusmodi excæcatio & induratio non solum significant peccantem, sed eram eum qui non possit non peccare. Diserti loci, Ioannis 12. *Ideo non poterant credere, quia iterum dixit Esaias: Excæcat cor populi huius; & aures eius aggrauat.* Et Ecclesiastici 7. *Respice opus ipsius Dei. Nam quis poterit corrigere id quod peruerterit?* Vulgata editio sic habet, *Quod nemo possit corrigere quem ille despexerit.* Longe dilutius: nam despicere leuius vocabulum, quam peruertere. Nihil tamen interest. Nam saltem hoc computatur inter opera Dei: & ea opera, quæ necessario sic sunt.

XVII. Bellarminus hanc impotentiā, qua homo excæcatus non possit videre, negat esse absolutam, sed ex hypothesi: posse enim absolute eiusmodi hominem videre, etsi non possit, dum cæcus est.

XVIII. Nos concedimus, & explicamus, esse in eo homine potentiam ad videndum, ad credendum, sed remotam: id est, habitudinem quandam, vt possit admittere facultatem contrariam: vt mons Athos potentiam habebat vt fieret statua Alexandri: sed valde remotam: talem tamen, quam nullum flumen haberet: & quælibet arbor potentiam habet, vt fiat equus Troianus; quam thymus nunquam habuit. Sic omnino, quibus cor induratum est, & mens excæcata, potentiam habent, sed remotam, vt fiant non peccatores; quæ nulla est Soli, aut Lunæ. Hæc igitur illa impotentia dici potest non absoluta, sed ex hypothesi: quomodo Athos non poterat fieri statua Alexandri: nempe, nisi accederet ars Staticratis. Sic non potest ex indurato homine fieri non peccator, nisi accedat gratia Dei. Sed est tamen necessitas: & quidem non simpliciter ex natura rei: sed, quia ad naturam rei accedit decretum Dei certum & efficax, quo remouetur omnis impotentia propinqua, quæ potentiam remotam illam in actum educere non patitur. Itaq; non obstat Bellarmini responsio, quominus ab ea necessitate concludatur quod volumus.

XIX. Restant singuli loci, in quorum duobus iniuriam Bellarminus Caluino facit. Eorum alter ex Iobo, *Qui commutat labium veracium, & doctrinam senum aufert: & qui immutat cor principum, & decipit.* Negat enim Bellarminus Deum immutare labium veracium, mentiendo: sed, vel permittendo vt decipiantur, vel reddendo mutos, & elingues prudentissimos consiliarios: negat immutare cor principum, faciendo ex bono malum, vel falsam notitiam inspirando: sed immittendo bonam aliquam cogitationem: aut certe indifferentem; ex qua tamen impediantur à proposito suo, atque ita decipiantur: cum Dei prouidentia fiat, vt non assequantur quod cupiebant. Exemplum Achitophelis: item eorum,

rum, qui Athanasium præsentē, sibiq; respondentem, pergebant quærere.

XX. Atqui hunc locum Caluinus pertinere contendit ad desertionem: nimirum, vt significet, Deum auferre lumen suum ab hominibus, vt remaneant in tenebris. Locus est §. 4. cap. 4. libri 2. Instit. Itaque non erat, quod hic sudaret. Quanquam frustra etiam facit, cum tam sæpe cauet, ne in Deum referamus peccatum ipsum: quasi id quisquam Catholicorum faceret. Imo sæpe dictum, tædet toties repetere: & tamen cogit immanis aduersariorum siue incogitantia, siue obstinatio. Omnes ergo consentimus Deum non inuertere labia veracium, mentiendo: non immittere malam aliquam cogitationem in eorum corda. Sed negamus tamen sequi nihil agere, sed tantum permittere.

XXI. Alter locus ex Hieremia, *Seduxisti me, Domine, & seductus sum.* Ambiguitate, inquit, Bellarminus, non falsitate, ex Hieronymo: quia Propheta audierat: *Ecce, Prophetam in gentibus dedi te.* Item, *constitui te super gentes & regna:* ideoque libenter prophetandi munus acceperat contra gentes, à quibus populus Domini vexabatur. Aduertit tamen postea se perpetuo contra gentem suam, regesque suos prophetare. Et rursus, quod captiuitatem verbis prædixerat, quasi iamiam futuram: vnde tanquam impostor à populo ludebatur. Quæritur ergo se ambiguitate verborum Domini deceptum,

XXII. Sed nunquam Caluinus hoc loco abusus est ad hoc negotium: neque putauit satis esse congruam aliorum expositionem, qui putant serio Prophetam conqueri de Deo, quasi ab eo deceptus esset, in qua sententia est Dauid Kimchi. Item Hieronymus, atque alij. Satius duxit hæc legi ἐιρωνικῶς, ad increpandam Iudæorum petulantiam, apud quos pro impostore habebatur; vt sensus sit: Si ego deceptus essem, tu, ô Deus, decepisses me: itaque in tuum dedecus redundat, quicquid hic populus audet de meo munere male loqui. *Suscipit hostium suorum personam*, inquit, qui iactabant illum temere vaticinari, de vrbis clade, & interitu; quoniam nihil tale futurum esset. Propheta hic pronunciat Deum esse autorem suæ doctrinæ: nec sibi posse quicquam exprobrari, quod non recidat in ipsum Deum. Viderint qui aliter sentiunt. Nam illos suo quemque iudicio permittens, huc iit potius, vbi se multo grauioris, solidioriſque fontes offerebant doctrinæ, de dignitate ministrorum Verbi Dei. Imo & interpretatio minus longe petita, dignior etiam prophetico culmine. Vix enim potest à culpa defendi, si serio conqueritur sibi à Deo impositum: quocunque tandem prætextu. Sed hæc ironia est vehementissima Iudæorum censura, sic inconsiderate Deum imprecantium in serui eius persona: Vere, inquam, censura, digna tanto Propheta.

XXIII. His purgatis, pergo ad reliquos locos. In Pharaone, Bellarminus notauit, indurationis causam aliquando ipsi Pharaoni tribui, qui ex patientia Dei sumebat occasionem contemnendi ipsum Deum, & obfirmandi cor suum in proposito non obediendi, *Videns Pharao quod data esset requies, ingrauauit cor suum, & non audiuit eos sicut præceperat Dominus.* Exodi 8. Alias vero ipsi Deo, qui non ita illustrabat, aut mouebat per gratiam cor illius, vt attenderet, & flecteretur. Ideo sæpe repeti, *Indurauit Dominus cor Pharaonis.* Nam quod non cogitaret flagellorum cessationem prouenire ex precibus Mosis, nascebatur ex iusto Dei iudicio, quo decreuerat non misereri Pharaonis.

XXIV. Imo, responsio nihil habet momenti. Nam idem ἀπάλισμα, tum Deo tribui, tum Pharaoni, nihil mirum. Sed mirum non considerasse Bellarminū, tam iniquum esse ab operatione Pharaonis tollere Dei prouidentiam, quam ipsius Pharaonis malitiam. Imo vtramque tartam tectam conseruari oportuit. Verè seipsum Pharao obdurauit, propria illa nequitia, quam insitam habebat; quaque ferebatur ad detinendos & affligendos Israelitas. Et verè, quamuis alio modo, Deus suo iusto iudicio, quamuis occulto, eundem Pharaonem obcæcauit. Quia nimirum subalterna non repugnant. Itaque non soluitur argumentum Caluini, qui in omnibus operibus malis, vtrumque diserte, sed discrete agnoscit; tum operationem malam hominum; tum operationem bonam Dei. Et hanc eius sententiam valde illustrat hæc locorum collatio instituta à Bellarmino, quibus Deus eundem dicitur indurasse, qui seipsum indurauit.

XXV. Locos, ex Deuter. 2. Iosue 11. 1. Sam. 2. 1. Reg. 12. Esaiæ 19 & 63. Ad Rom. 1. & 9. omnes eadem dealbat fidelia: nec aliter, inquit, respondendum.

XXVI. Esto sane; sed erit nobis etiam similiter instandum. Quanq; possunt etiam vrgeri ex iis nonnulli. Nam ille ex Deuteronomio, nimis quam disertus: quod nō tantum dicitur obduratus fuisse spiritus Sehon; ea voce, qua vsus est Moses in Pharaone; sed etiam obfirmatum cor, ואמץ את לבבו κραταιῶσαι τὴν καρδίαν αὐτοῦ, quod proprie significat confirmare, & robur addere ad aliquid efficiendum. Hæc vero quam esset immanis καθάρεσις, si nihil aliud Deus, quam occasionem dabat.

XXVII. Iosue 11. כי מאת יהוה היתה לחזק את לבם Iunius reddidit, *A Iehoua enim fuit, quod obfirmabant cor suum* Etsi non multum diuerso sensu, tamen non nihil recedens à vi verborum: imitatus, puto, Septuaginta, παρὰ κυρίου ἐγένετο καθαιρεῖσθαι τὴν καρδίαν αὐτῶν, *Per Dominum factum, vt indurarentur corda eorum.* Sed Grammatica constructio postulat, vt illud לחזק ad Dominum referatur. Propterea Münsterus, *Si quidem à Domino hoc fuit, qui obdurauit cor illorum.* Pagninus, *A Domino fuit, vt induraret cor eorum.* Et tamen non est id verbum, quod in Pharaone indurationem significabat c. 7. Exodi. Sed illud, quo ad eandem rem vtitur c. 4. Leo Iudæ, *confortabat cor eorum.* Vatablus in maioribus annotationibus, obseruabat illud; *A Iehoua fuit*, significare, *Iehoua hoc fecit.* Latinus interpres, ab hac verborum proprietate sic recessit, vt tamen rem ipsam non male expresserit, *Domini enim sententia fuerat, vt indurarentur corda eorum, & pugnarent contra Israel, & caderent, & non meterentur clementiam, ac perirent.* Quæ verba, tum finem, tum media referunt ad vnam eandemque sententiam Dei, ex cuius decreto perituri erant: & is finis. Sed vt perirent, pugnarent: vt pugnarent, indurarentur corda eorum. Itaque, quemadmodum perditio eorum non erat à Deo tantum deserente, sed etiam decernente: sic & bellum & obduratio.

XXVIII. Eodem pertinent illi ex 1. Samuelis: & ex 12 prioris Regum. Quis enim, audiens filios Heli non obtemperasse patri bene monenti, quia eos Deus vellet occidere, non statim cogiter, & finem fuisse eorum interitum: & ad eum finem certum medium inobedientiam? Eum autem, qui finem illum sibi proposuisset, ipsum medium elegisse, decreuisseque? Quis rursus, cum audit Roboamum non acquieuisse bene monentibus, quia eum Dominus erat auersatus, non statim concipiat, vim quandam odii diuini, sese in eo exerentem?

XXIX. Quanquam hic etiam textus Hebræus longe est ἐμφαλικώτερος, vulgato interprete Latino: & omnino dignus qui hic obseruetur, *Non auscultauit Rex populo*, כי היתה סבה מעם יי, Iunius reddit, *Erat enim causa à Iehoua, vt præstaret verbum suum, quo alloquutus fuerat, per Ahiiam Silonitem, Ieroboamum filium Nebath.* Pagninus *Fuit enim causa à Iehoua.* Münsterus, *Quoniam fuit ordinatio Dei.* Nam סבה siue נסבה, vt habetur 2. Paral. 10. c. est Hebræis נרם, causa siue occasio. Leo Iudæ, *Quoniam fuit reuolutio à Domino.* Sensu non absimili: sed Chaldæus interpres seuerior, ארי הות מלגחם מן קדם יי, *Quoniam erat contradictio à Domino.* Hoc est, ea contradictio Roboami procedebat à Domino. Itaque, Vatablus in maioribus annotationibus, *Prouenichat causa à Iehoua, authore Iehoua, atque ita volente fiebat.*

XXX. Esaiæ locus etiam ἐμφαλικώτατος, Dominus miscuit in medio eius spiritum vertiginis. Verbum מסך, respondet Græco κεραννύναι: quomodo etiam Septuaginta verterunt, κύριος ἐκέρασεν αὐτοῖς πνεῦμα πλανήσεως. Itaque reddi potest per *propinare*: etsi enim proprie significet miscere: tamen, quia in conuiuiis eo miscetur vinum, vt propinetur; inde factum, vt quomodo solet ab antecedente consequens intelligi, sumatur pro alicui porrigere id quod mistum fuit. Itaque Iunius annotauit, *Fundente in illos efficacitatem erroris, quem velut medicatum poculum exhauriant.* Similis locus ex poster. ad Thessal. *Mittet illis Deus efficaciam deceptionis.*

XXXI. Illud Ioannis 12. dupliciter ait intelligi posse. Causam cur Iudæi non crederent fuisse, vel quia prædixit Esaias ita futurum: vel quia excæcati erant iuxta vaticinium Esaiæ. Priori modo rem esse perspicuam; quia præscientia prædictioque nullam importent rebus necessitatem. Sensum vero esse, non potuisse fieri, quin euenirent quod Propheta euenturum prædixerat. Posteriori autem (atque hoc probabiliori) effici quidem, cæcitatem causam esse, cur non possent Iudæi credere: sed ex hypothesi, non autem absolute: quia licet dum excæcati erant, credere non possent, poterant tamen mutari cum Dei gratia, & ex cæcis fieri videntes & credere

XXXII. Atqui duo hi sensus non sunt contrarij, quin potius coniungi debent. Imo prior ille, est primus proximus & immediatus: alter, inde consequens. Nam, primo, significatur aptari euentui, qui erat præ oculis, Esaiæ prophetiam; quomodo alias sæpissime: Deinde autem illa prophetia concipitur verbis Esaiæ: & ex iis intelligitur. Omnino ergo non poterant credere, quia ita prædixerat Esaias. *Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorū.* Ea ergo necessitas est hypothetica ex prædictione. Sed alia necessitas colligitur ex verbis Prophetæ; hypothetica quidē illa ēt: sed & ipsa ex energia Dei decernentis. Vnde Caluini annotatio est, *Nihil esse absurdi, si accidere secus non potuit, quam Deus præuiderat. Sed notandum simplicem, nudāmque Dei præscientiam rerum, causam non esse. Quanquam hīc non tam præscientia, quam iudicij & vindictæ nobis habenda ratio. Neque enim Deus: quid è cœlo speculetur facturos esse homines: sed quid ipse facturus sit, pronunciat: nempe, quod stupore & vertigine percutiet impios, vt de ipsorum malitia vltionem sumat.* Hanc argumenti vim dissimulans Bellarminus, ea dixit, quæ ad rem nihil pertinent. Enimuero, quid illud *mutari poterant?* Verum, si de remota potentia: at, si de propinqua, negat Ioannes: Nam, quia omnino contradictoria sunt, credere, & esse excæcatum, siue indurātum: Ergo, vt excæcati credant necessaria est mutatio. Qui ergo dicit non posse credere, negat posse mutari. Atque hoc est, quod Ioannes demonstrandum censuit, à caussa: nimirum quia ea excæcatio non erat fortuita, sed à Dei iudicio: non potest autem iudicium Dei irritum fieri. Itaq; necesse est Ioannis verba sumi in sensu non compositō, vt loquuntur, quandiu erant cæci non poterant credere: quid enim noui? nam generale est: nec quisquā non fidelis, etiamsi non excæcatus, non induratus, potest credere, quandiu infidelis. Paulus, inquam, quandiu blasphemus, nō poterat credere, qui tamen postea credidit. Ergo in sensu disiuncto potius. Erant cæci, nec poterant conuerti, & fieri non cæci, vt crederent.

CAP. VII.

De Dei energia in malis operibus.

I. QVarum argumentum ab iis testimoniis quæ dicunt Deum re ipsa operari, & efficere ea quæ mala sunt. Quicunq; operatur & efficit, is nō nude permittit. At Deus operatur & efficit ea, q̄ peccata sunt. Ergo, Deus non nude permittit ea quæ peccata sunt Maior extra controuersiā.

II. Minor probatur. Samuelis c. 12. libri 2. Hæc dicit Dominus, *Ego suscitabo super te malum de domo tua: & tollam vxores tuas inoculis tuis: & dabo proximo tuo, & dormiet cum vxoribus tuis, in oculis Solis huius. Tu enim fecisti abscondite: ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israel, & in conspectu Solis huius.*

III. Addit Bellarminus, Lucæ 2. *Ecce positus est hic in ruinā, & in resurrectionem multorum, in Israel.* Ad Roman. 9. *Ecce pono in Sion l apidem offensionis & petram scandali* Item ad Ephes. 1. *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.* Quem locum Beza sine vlla exceptione de omnibus omnino rebus, quæ in mundo fiunt, intelligendum contendit: vt sensus sit, omnia quæ fiunt, siue bona, siue mala, Deo non solum præscieute, & permittente: sed etiam volente, decernente, & operante fieri.

IV. At idem omisit istos. 1. Regum 12. *A me factum est verbum istud*; id est, apostasia Israelitarum à regno Dauidis. Hieremiæ 50. *Aperuit Iehoua repositorium suum, & deprompsit instrumenta indignationis suæ: quia opus hoc est Domini Iehouæ exercituum in terra Chaldæorum.* Amos 3. *An erit malum in ciuitate, quod Iehoua non efficiet?* Esaiæ c. 45. *faciens pacem, & creans malum.*

V. Respondet autem sigillatim. Ad primum, in quo agitur de Absalomi incestu: dici Deum id malum effecisse, non qua erat Absalomi culpa, sed qua Dauidis pœna. Fecisse autem, non incitando Absalomum ad malum,

malum, neque id ei ſuadendo, vel imperando, ſed permittendo, quum facile impedire poſſet: vel etiam voluntatem ad multa ſcelera inclinatam auertendo, & cohibendo ab aliis; atque ad hoc vnum viam aperiendo, id eſt, ſinendo ruere in hoc, non in alia.

VI. Nihil igitur adfert noui, ſed eadem repetit, quæ jam ſunt ſatis ſuperque examinata. Verum eſt, hoc opus Dei eſſe, non qua culpa eſt Abſalomi: omnem enim impietatem ſuperet, qui dicat Deum ipſum inceſto violaſſe vxores Dauidis: Abſit, abſit hæc portentoſa blaſphemia à piorum animis. Itaque diſtincte, *Ego tollam vxores tuas, & dabo proximo tuo*: tum autem *& ille dormiet cum eis*. Inceſtum ergo Abſalomi fuit. Sed quis non videt, illam pœnam Dauidis, illumque Abſalomi inceſtum, fuiſſe vnum idemque opus numero? Ergo, Deus puniuit Dauidem; ſed eo ipſo inceſto, quod fuit Abſalomi. Imo in vnum idemque opus concurriſſe Deum & Abſalomum? Hunc quidem, vt inſtrumentum: illum, vt ſummam cauſam: illum, vt nequam ac ſceleratum: hunc, vt optimum & iuſtiſſimum.

VII. Itaque hæc verba, ſuſcitabo, tollam, dabo, faciam ridicule exponuntur per nudam permiſſionem, & talem quidem permiſſionem quæ ſit voluntas, non poſitiue, hoc eſt, nullo modo voluntas: & metaphorica voluntas. Sic enim definiunt. At Caluinus merito vrget locum. *Abſalom*, inquit, *inceſto coitu patris thorum polluens, deteſtabile ſcelus perpetrat: Deus tamen hoc opus ſuum eſſe pronunciat. Verba enim ſunt, Tu feciſti occulte: ego vero palam faciam & coram Sole hoc.* Ad hæc verba ſi compares omnes omnium Sophiſtarum ſubtilitates, erunt nihili.

VIII Audito Martyrem in eum locum. *Hic dubium oritur. An dicemus Deum, quemadmodum affirmare videtur, feciſſe iſta peccata? Sana quadam ratione diſtinguendum eſt. Licet eadem actio Deo & Abſaloni videatur tribui, fit tamen id diuerſis rationibus. Si conſideretur qua peccatum eſt, Abſalonis fuit. Si vero, vt Deus caſtigabat Dauidem, ad Deum ipſum pertinere poteſt. Nã illius eſt iudicium: vt iis rationibus Dauid caſtigabatur, peccatum non erat, ſed pars iuſtitiæ: ad iuſtitiam enim pertinet ſontes caſtigare. Peccatum non modo peccatum eſt; ſed etiam pœna; interdum eius tantummodo qui peccat: nam corrumpitur eius natura, & imago Dei in ipſo obſcuratur. Aliquando non tantũ peccantis, ſed quorundam aliorum, quos Deus vult caſtigare, vt nunc videmus in Abſalone.* Hæc Martyr: & multo ante Bellarminum. Nihil igitur nobis noui Bellarminus: dum diſtinguit, qua peccatum, qua pœnam, nos ſciebamus, nos affirmabamus. Deſinat ergo calumniari, ſi poteſt, quos non poteſt imitari.

IX. Illud de Chriſto poſito in ruinam, & in petram ſcandali, negat ſignificare à Deo Chriſtum ideo fuiſſe miſſum in mundum, vt eſſet cauſa, vel occaſio ruinæ, ſiue ſcandali, ſed miſſum quidem, vt eſſet cauſa ſalutis: tamen futurum etiam fuiſſe, vt eſſet occaſio ruinæ, & ſcandali: non ipſo præbente occaſionem, ſed hominum malitia eam accipiente.

X. At Beza in 9. ad Roman. *Ecce pono*, *Iuſta igitur Dei prouidentia hoc decernit & exequitur etiam ſi homines propria malitia impingant.* Et plenius in 2 Lucæ κεῖται, Hebraice נצב *id eſt, pro ſcopo eſt conſtitutus, & deſtinatur à Deo, cui ſic placet gloriæ ſuæ conſulere. Si quidem particula εἰς, non tantum euentum rerum, ſed etiam in primis conſilium & decretum Dei deſignat. Sed quum ad huius conſilij exequutionem deuenitur, tunc, vt interſeruandi decretum, & ſalutem electorum, gratuita vocatio, & per eam fides interuenit: ſic inter reproborum caſum & Dei conſilium, interuenit ipſorum corruptio, & ſpontanea infidelitas.* Nititur ergo Beza ipſa vi verborum, fideliter expenſa, non malitioſe contorta; & ex ea concludit, certo Dei conſilio fieri, vt Chriſtus ſit in ruinam, & in ſalutem. Itaque non id inde probat Beza, quod hoc capite propoſitum eſt, nimirum efficaciter operari Deum in malis operibus: ſed id potius, quod c. 4. nempe ab æterno decreuiſſe Deum, vt fiant mala opera.

XI. Porro, agnoſcimus, verum, propriumque finem, ob quem Chriſtus in mundum venit: eſſe hominum ſalutem; eſſe vero non per ſe, ſed per accidens, multis in ruinam, nimirum ex ipſorum nequitia, ſcelerate abutentium hoc inſigni, omnemque admirationem ſuperante opere Dei. Neque opus erat, vt id nos Ieſuita doceret, ex Fulgentio & Theodoreto, aut alio vllo, Nam ſi Beza annotauit in 1 Lucæ: ad illa, *vt conuertat corda Patrum in Filios. Cæterum, quia, quod hic dicitur de Ioannis munere, cum eo videtur prorſus pugnare, quod Chriſtus de ſe dicit infra cap. 12. ſciendum eſt, diuerſum prorſus eſſe ſcopum Malachiæ ex quo hæc ſunt deſumpta, & Chriſti, de prædicationis Euangelii non fine proprio, ſed euentu contingenti, idq; hominum culpa, differentis.* Caluinus in 2. Lucæ, *Senſus eſt diuinitus eſſe ordinatum, vt multos deiiciat, ac præcipitet. Sed notandum eſt, ruinam inde procedere, quod increduli in eum impingunt quod paulo poſt exprimitur, vbi Simeon vocat ſignum contradictorium. Ergo, quia rebelles ſunt Chriſto increduli, ſe ad eum allidunt, vnde ſequitur eorum ruina.*

XII. Supponat ergo pro certo Bellarminus Chriſtum eſſe proprie, & per ſe poſitum in ſalutem multorum: & eſſe per accidens in ruinam. Nos .n. ita profitemur: ſed vel nobis cedat docentibus, vtrumq; eſſe ex diuinæ prouidẽtiæ decreto æterno: vel ipſe doceat, ſi poteſt illud quidẽ de ſalute eſſe ex decreto, alterum autem fortuitum: id eſt, contradicat Scripturæ. Nam hic quidem nodus eſt argumenti: quæ autem his neglectis, ille prolixe diſputat, inutilia.

XIII. Ad locum, ex 1. c. ad Epheſios, reſpondet: Primo non dicere Apoſtolum, Deum operari omnia abſolute, quæ fiunt in mundo, tam bona, quam mala: ſed Deum operari omnia quæ operatur non temere, neq; inuitum: ſed libere & prudenter: quemadmodum viri prudentes dicuntur, omnia mature agere: itaque intellexiſſe Hieronymum. Secundo, etſi concederetur, omnia omnino, quæ in mundo fiunt, à Deo fieri: non tamen inde ſequi, peccata, quæ ab hominibus fiunt, etiam à Deo fieri, quia peccatum facere, non ſit facere, ſed deficere.

XIV. At in poſteriori ſui ſimilis eſt Ieſuita, ſcilicet, hærent ſemper illi calumniæ, quæ Catholicis imponit Deum authorem ipſius peccati, qua peccatum eſt: quod neque Bezæ, neque cuiquam ſano venit in mentem. Itaque, concedimus peccare, eſſe non facere, ſed deficere: Deum autem nunquam deficere: ac proinde nunquam peccare. Tam hoc nobis certũ, quam certum Deum eſſe. In omnibus igitur illis rebus, quæ fiunt in mundo, ſi quæ præter quam quod ſunt aliquid, etiam peccata ſunt, omnino à Deo id habere non poſſunt, vt peccata ſint: etſi ab eo habeant, vt ſint aliquid: nam hoc eſt, efficere, non deficere.

XV. Iam ad priorem reſponſionem tria conſideranda ſunt, & expendenda: primum, τὰ πάντα: ſecundum, τὸ ἐνεργεῖν: tertium, κατὰ τὴν βουλὴν τοῦ θελήματος αὐτοῦ, quæ Beza etiam diſtincte ponderat in iis ipſis articulis, quos Bellarminus exagitat acerbius, quam refutat ſolidius: nimirum ad tertiam Caſtellionis calumniam. Et ſane, qui ea leui brachio tractabit, fieri non poteſt, vt non eneruet locum tam diſertum, tam ἐμφαλικώτατον.

XVI. De tertio igitur membro vbi conſilium eſt, & voluntas, ſic Beza, eſſe æternum, & omnia antegrediens, non tantum tempore, quum ſit ante omne tempus, ſed etiam ordine. Probatur, quia alioquin voluntas Dei non eſſet primaria regula conſilii illius: ſed potius qualitates rerum præuiſæ, aut præſcitæ, & impellentes Deum ad hoc vel illud conſiliũ capiendum, ipſi voluntati Dei regulam præſcriberent: quod de Deo dici quis ferat? Thomas in cap. 9. ad Rom. *Vt propoſitum Dei, ſcilicet volentis, vnum alteri præ alio magnificare, maneret, id eſt, firmum eſſet, & hoc non ſecundum merita, ſed ſecundum electionem, id eſt, in quantum ipſe Deus ſpontanea voluntate, vnum alteri praelegit, non quia Sanctus erat, ſed vt ſanctus eſſet: ſecundum illud ad Epheſios 1. Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus Sancti.*

XVII. Rurſus: Conſilium nullo modo ſeparari poſſe à voluntate, quin Deum ſua diuinitate ſpoliemus. Nec ſane credendum ab Apoſtolo ſic τὴν βουλὴν eſſe coniunctam τοῦ θελήματι, quaſi non ſemper ita ſit, ſed in eo tãtum ſubiecto. Imo, quis poteſt conſiliũ vel imaginari, vt non ſtatim voluntatem? Quin etiam eadem βουλὴ, quæ hic coniungitur τοῦ θελήματι, alias connectitur τοῦ ὁρίζειν, definire, certo ſtatuere. Sic Actor. 2. dicitur Chriſtus traditus τῇ ὡρισμένῃ βουλῇ, *definito conſilio*: & 4. facta eſſe quæ Dei βουλὴ προώρισε γενέσθαι; *conſilium præfinierat facienda* Adde βουλὴν appellari myſterium ſalutis humanæ, Actor. 20. *Non ſubterfugi quominus annunciarem vobis omne Dei conſilium.* Quanquam in re perſpicua argumenta ſunt ſuperflua. Hinc conficitur quod maxime ad hanc quæſtionem pertinet, vel non fieri, quæ male fiunt, ex Dei conſilio: vel fieri etiam ex eiuſdem voluntate. Quorum quum illud ſit abſurdiſſimum, & contra Dei Prouidentiam blaſphemum, hoc certe pro vero agnoſcendum eſt.

XVIII. Tertio, hoc conſilium non eſſe poſitum tantum in moderatione & directione euentus: ſed actuoſam, & effectuoſam vim habere in omnibus: idque Paulum ſignificaſſe verbo ἐνεργεῖν. Nimirum nota vis eſt vocabuli. Phauorinus, ἐνεργεῖν. ἐνεργῶς πράσσειν. Quo pertinent iſta Matt. 14. αἱ δυνάμεις ἐνεργοῦσιν ἐν αὐτῷ, *Virtutes operantur in eo*: hoc eſt, vim ſuam præſentem exſerunt. Ad Rom. 7. τὰ παθήματα τῶν ἁμαρτιῶν τὰ διὰ τοῦ νόμου ἐνηργεῖτο ἐν τοῖς μέλεσιν ἡμῶν, *Affectiones peccatorum per legem exiſtentes, vigebant in membris noſtris.* Prioris ad Corinth. 12. ὁ δὲ αὐτός ἐστι Θεὸς ὁ ἐνεργῶν τὰ πάντα ἐν πᾶσιν, *Idem Deus eſt efficiens omnia in omnibus.* πάντα δὲ ταῦτα ἐνεργεῖ ἓν καὶ τὸ αὐτὸ πνεῦμα, *Omnia hæc efficit vnus ille & idem Spiritus.* Non colligam omnia: ſed ex his vident omnes hoc verbo ſignificari non motum quendam vniuerſalem, ſed præſentem, certamque vim ſeſe tum exſerentem, quum in indiuiduum aliquod opus producitur. Itaque à Latino interprete vulgato exprimitur, *operari*, quod proprie reſpondet τῷ ἐργάζεσθαι, vt in gloſſariis: atque adeo apud ipſum Latinum interpretem Matt. 7. *Qui operamini iniquitatem*, Et 21. *Operare in vinea mea.* Ioannis 5. *Pater meus vſque modo operatur, & ego operor*, & alias ſæpiſſime.

XIX. Syrus interpres modo per עבד; quod eſt facere, 1. ad Corint. 12. v. 6 Alias per אתחפט operari, agere ſedulo; eſſe efficacem; ſic enim redditur à Bodeniano poſt. ad Corinth. 4. & 7. ad Rom. Alias per סער, agere, facere, patrare, vt 1. ad Corinthios 12. v. 11. vbi redditur, *efficit*, à Boderiano Matthæi 14. מסתערין *operantur*, hoc ipſo loco ad Epheſ. 1. רבל סער *qui omnia fecit.*

XX. Propterea Beza obſeruabat hanc vim, atque efficaciam, tribui Deo agenti: non vero tantum dici eſſe à Deo: nempe, vt ne quis putet declarari naturalem facultatem rebus inditam à Deo creatore, vt hoc vel illud efficiant: ſed ipſam potius Dei virtutem, quam habet in ſe ad omnes res efficiendas. Quibus verbis lancinatur illud vaniſſimum nudæ permiſſionis figmentum: ſiue voluntatis non poſitiuæ: quo Sophiſtæ mera crepantes κενὰ, imo & κενὰ ῥήματα, puluerem iniiciunt oculis infirmioribus, intempeſtiue, inepteque diſtinguentes.

XXI. Iam de omnibus ita cenſet. Vniuerſalem particulam nulla prorſus quantulacunque exceptione reſtringi poſſe; quin Deus ea in parte conſtituatur otioſus, ex Epicuri dogmate: niſi forte quis dicat inuito eo, quicquam geri: hoc eſt, eundem ſpoliet infinita poteſtate. Concludens ex eo, Deum prout libuit, ab æterno omnia futura decernere, atque eadem ſuo tempore ſua ipſius efficacitate peragere ſicut vult.

XXII. Hæc Beza, non magis perſpicue, quam ſolide, & Catholice. Ea debuerat Sophiſta ſigillatim examinare, & ſi potuiſſet, confutare, non indiſcrete vellicare, confuſeque ſugillare, At primo, nihil habet quo cogat fateri ea Apoſtoli verba ſic coercenda, vt non ſint vniuerſalia. Nam neque vllo loci vocabulo nititur, neq; vlla ſermonis Apoſtolici circunſtantia. Sed ne analogia quidem fidei. Non eſt vero vnius Hieronymi autoritas ſumma, vt ab ea diſſentire non liceat: Melius Oecumenius κατὰ τὴν γνώμην τοῦ τὰ πάντα ἐνεργοῦντος Θεοῦ ἐν τῷ οὐρανῷ καὶ ἐπὶ τῆς γῆς, *Secundum conſilium omnia efficientis Dei, cum in cœlo, tum in terra.* Melius & Primaſius, *Qui omnia operatur omnium cauſa eſt voluntas Dei, quam rationabilem eſſe fidelium nullus ignorat, ſine dubio bona. Si ipſe omnia, vbi eſt ſuperbia Pelagiana? Ipſe ergo & vt credere incipiamus operatur, qui omnia operatur.* Quin etiam Ambroſius ita vertit, *Prædeſtinati ſecundum propoſitum Dei, qui vniuerſa creauit, ſecundum conſilium voluntatis ſuæ.*

XXIII. Præterea non effugit vim argumentationis. Nam cum ex hoc loco confectum fuerit, omnia quæcunque facit, Deum facere ex conſilio ſuæ voluntatis: tum ex aliis plurimis confirmabitur eum facere non tantum nonnulla: ſed etiam omnia quæ fiunt: imo etiam ipſa, de quibus diſputamus, peccata: facere, inquam, vel per ſe ſolum, vel per ea inſtrumenta, quæ pro arbitrio delegit & mouet. Itaque, cum conſtiterit, Deum operari, exempli gratia, per Abſalomum, ſeueram illam pœnam, quam Dauid expendit, tum fateri oportebit in hoc ipſo opere conſiderandam eſſe

Dei,

Dei, tum τὸ θελήματι & βουλῇ, tum etiam ἐνέργειαν: quæ duo erant necessaria Bezæ contra Castellionem: necessaria etiam Catholicis contra Papistas, suam illam nudam, & exilem, & quauis gluma leuiorem permissionem, siue non positiuam voluntatem, non Catholice obtrudentes, vtinam etiam non positiue.

XXIV. Denique, quid ineptius? facit quæcunque facit? Ita sane. Nam & creauit quæcunque creauit: & præsciuit quæcunque præsciuit. Denique omnia potest, quæcunque potest. An propterea non creauit omnia? non præsciuit omnia? non potest omnia? Imo, quis Angelorum est, aut etiam hominum, imo quis minutissimorum vermium, qui non faciat omnia quæcunque facit?

CAP VIII.

De Sententia Augustini.

I. HActenus è Scripturis. Nunc ex Augustino, qui solus inter Patres hanc doctrinæ partem totam explicauit & solidissime & manifestissime. In eius auctoritatibus examinandis Bellarminus peccat dupliciter, tum quod non omnes recenset, quas à Caluino sumere potuit: tum quod aliquas admisceat, quę pertinent ad generalem quæstionem de prouidentia. Ego sic agam, vt quæstiones distinguens, suppositas negligam, dissimulatas non omittam.

II. Primo ergo testatur Augustinus, ne mala quidem opera accidere præter certam Dei voluntatem, Enchiridij c. 100. *Hæc sunt magna opera Domini exquisita in omnes voluntates eius: & tam sapienter exquisita, vt quũ angelica, & humana creatura peccasset, id est, non quod ille, sed quod voluit ipsa fecisset, etiam per eandem creaturæ voluntatem, qua factum est quod creator voluit, impleret ipse quod voluit: bene vtens & malis, tanquam summe bonus, ad eorum damnationem, quos iuste prædestinauit ad pœnam: & ad eorum salutem, quos benigne prædestinauit ad gratiam. Quantum enim ad ipsos attinet, quod Deus noluit fecerunt: quantum vero ad omnipotentiam Dei nullo modo id efficere valuerunt. Hoc enim ipso quod contra voluntatem fecerunt eius* (sic lego in meis membranis, valde ad stylum Augustini) *de ipsis facta est voluntas eius: Propterea namque magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates eius, vt miro & ineffabili modo non fiat præter eius voluntatem, quod etiam fiat contra eius voluntatem, quia non fieret si non sineret: nec vtique nolens sinit, sed volens: nec sineret bonus fieri male, nisi omnipotens etiã de malo facere posset bene.* Et c. 96. *Neque dubitandum est Deum facere bene, etiam sinendo fieri quæcunque fiunt male. Non n. hoc nisi iusto iudicio sinit: & profecto bonum est, omne quod iustum est. Quamuis ergo ea quæ mala sunt, inquantum mala sunt, non sint bona: tamen vt non solum bona, sed etiam sint & mala, bonum est. Nam nisi esset hoc bonum, vt essent & mala, nullo modo esse sinerentur ab omnipotente bono, cui procul dubio, quam facile est quod vult facere, tam facile est quod vult non esse, non sinere. Hoc nisi credamus, periclitatur ipsum nostræ fidei confessionis initium, qua nos in Deum Patrem omnipotentem credere confitemur.*

III. Hactenus Augustinus. Obserua. Primo. In malis operibus esse rationem mali, secundum quam ea nolit Deus: esse etiam rationem boni, quatenus sunt. Hanc Scholastici appellabant entitatem actionis. Sic nos distinguebamus id quod agitur ab eius qualitate. Secundo. Mala non esse absque Dei voluntate, contra Scholasticos audacter definientes, Deum nullo modo velle malum culpæ: sed malum naturæ & pœnæ per accidens. Tertio, hanc ipsam voluntatem, præter quam non sunt mala, coniungi cum omnipotentia; vt ne tum quidem, quum male volunt homines, imo quum male faciunt, possint quicquã efficere quod Deus nolit. Quarto, exiis interpretare permissionem, si quæ permissio in hoc negotio vlurpanda est. Non sinit, inquit, nisi volens. Fortius non nisi iusto iudicio sinit. Quid igitur dixisset, si eos audisset, qui Deum negantur permittere mala, sed nullo modo velle? qui voluntatem negant hic esse quicquam positiuum? Qui eandem dicunt esse signi tantum, non beneplaciti: & voluntatem signi negant esse voluntatem, sed tantum voluntatis metaphoram?

IV. Bellarmini respondentis longa est incuria, longæ ambages. Has contraham. Voluntatem esse beneplaciti, aut signi. Priori modo Deum erga peccata non habere velle posse uum. Ratio: nullus bonus & iustus vult peccata, id est, mala, & iniquitates. At Deus bonus & iustus. Ergo non vult peccata. Rursus non habere erga eadem positiue nolle. Ratio: nullus omnipotens non vult ea quæ fiunt. At Deus est omnipotens: non ergo Deus non vult ea quæ fiunt. Ratio maioris, quia si nollet & fierent: ergo inuito fierent. At nullus est omnipotens, quo inuito fit aliquid. Quid igitur? nempe, inquit, non habet velle, non habet etiam nolle: sed negatiue habet non velle. Probatur ex Psalmo 5. Non Deus volens iniquitatem tu es. Habet etiam nolle non positiue. Altero modo ex voluntate signi, habere Deum nolle fieri peccata: esse autem hanc voluntatem non absolutam, sed conditionatam; nempe, quia, cum præcipit, vt aliquid non fiat, addit pœnam si fiat: ita vt non absolute illud velit non fieri, sed tantum non fieri; aut si fiat, puniri eum, qui faciat.

V. His positis, tandem Augustinum explicat. Quod neget ea fieri præter Dei voluntatem, quæ fiunt contra eius voluntatem; intelligendum, non quia velit illa fieri. Ratio, quia pugnaret secum. Sed tum, quia velit aut non fieri, aut puniri facientem: tum, quia licet nolit peccata, tamen vult ea permittere vt fiant, ordinaturus illa pro sua omnipotentia, & sapientia in bonum. Hanc vtramque causam attigisse Augustinum. Illam: *Bene vtens & malis, tanquam summe bonus, ad eorum damnationem, quos iuste prædestinauit ad pœnam, & eorum salutem, quos benigne prædestinauit ad gratiam. Quantum enim ad ipsos pertinet, quod Deus voluit* (sic Bellarminus legit; & exponit voluntatem signi, repugnantibus editionibus Basilienſi & Venera: tum meis membranis, sensu etiam postulante, *noluit*: atque ita citante: Lorino in Psalm. 110.) *fecerunt: quantum vero ad omnipotentiam Dei, nullo modo id efficere valuerunt* Alteram: *Propterea namque, omnia opera Domini, exquisita in omnes voluntates eius: vt miro & ineffabili modo non fiat, præter eius voluntatem, quod contra eius sit voluntatem, quod non fieret, si non sineret.*

VI. Excutiam prius generales illas distinctiones; tum veniam ad Augustinum. Et primo. Voluntatis distinctionem in signi & beneplaciti, video probari Bezæ. Imo nõ probari. Longe enim alio sensu; quam à Scholasticis proponatur. Signi appellat, quam hominibus ipse Deus patefecerit. Beneplaciti, quam apud se retineat, nobis occultam: vt quum pollicetur Abrahamo, se fore Deum, tum eius, tum seminis ab eo oriundi, ea sit voluntas signi. At quum Ismael & Esau reiecit, beneplaciti. Hoc sensu, vult Deus mala semper voluntate beneplaciti, interdum etiam volnntate signi. Multa enim euentura iam ante prædixit, hoc est, significauit se velle vt euenirent. Exempli gratia, traditionem Christi, quam tanto ante significauerat per Prophetas. At Scholastici disserte pronunciant, Deum nunquam velle malum, voluntate beneplaciti: vt hic etiam Bellarminus explicat, suum illud non habere Deum positiue nolle. Quid ergo sibi hi scholastici velint, inquiramus.

VII. Primo obseruant in Deo proprie vnicam esse voluntatem. Et recte: non possunt. n. plures, vt neq; plures essentiæ. Hanc vnicam appellant beneplaciti. Et definiunt, voluntatẽ aliquid efficaciter volentem, vt verbis vtar Maioris. Secundo, voluntatẽ signi esse tantũ tropicã, vt loquitur Lombardus dist. 45. lib. 1. & metaphoricam, vt Thomas partis 1. quæst. 19. art. 11. nimirum, quatenus signum nominatur metaphorice nomine rei, cuius est signum: vt imago Herculis, vocatur Hercules; quæ verba sunt Durandi in eum Lombardi locum. Tertio, hanc voluntatem signi multiplicem esse, probant ex Psalmo 111. *Magna opera Domini & exquisita in omnes voluntates eius.* Itaque distribuunt, in præceptum, prohibitionem, permissionem, consilium, operationem. Quarto, differre notatis qui Lombardum contraxit in Epitomen, quod voluntas beneplaciti sit æterna, reliquæ temporales: quanquam Altenstaig, voluntatem beneplaciti appellet creaturam: rursus, quod illa semper impleatur; hæ vero non semper. Itaque, quum negant Deum velle mala, voluntate beneplaciti; sed tantum voluntate signi, siue permissionis: hoc intelligunt, Deum neque efficaciter velle, neque ab æterno. Velle autem metaphorice, & per similitudinem quandam, siue proportionem, vt Durandus loquitur, hoc est, tandem nolle: quemadmodum, cum dicimus iram Deo tribui μεταφορικῶς, omnino negamus in Deo vllam esse iram.

VIII. Hæc Scholasticorum doctrina. At primo, quod de voluntatibus dicunt è Scriptura, quam misere Scripturam ludibrio habent, inani vocabulorum sono abutentes, rebus ipsis neglectis! Nam voluntates Dei numero plurali, quatuor duntaxat locis in tota Scriptura nominatas comperi. Psalm. 16. *Sanctis, qui sunt in terra eius mirificauit omnes voluntates meas in eis.* Psalm 103. *Notas fecit vias suas Moysi, filiis Israel voluntates suas.* Tum isto, quem citant centesimo vndecimo. Denique Act. 13. *Qui exequetur omnes voluntates meas.*

IX. At ex his locis tres primi infideliter expressi sunt ex Hebraica veritate. Nam primum Hieronymus transtulit, *Sanctis qui in terra sunt omnis voluntas mea in eis.* Alii aliter: sed tamen constat, חפציו voluntatem esse singulari numero: & quidem voluntatem non Dei, sed eius qui Psalmum condidit, vt viderunt Pagninus, Vatablus, & Rabbini. Quin Bellarminus, etsi suo more omnia vertat, vt ne quid peccati agnoscat in Latina editione, tamen sensum expressit, *Quia Deus bonorum meorum non eget, ideo benefacere studeo electis eius.* Consentit Iansenius. In secundo Hieronymus cogitationes dixit, alii opera: & in his Chaldæus Paraphrastes Habraicũ nomen significat, tum cogitationes, tum opera. Tertium Chaldæus reddit: Magna opera Domini, exquisita omnibus qui volunt illa. Paulo liberius suo more: sed sensu tamen seruato: nam חפציהם nullo modo significare potest voluntates eius. Agnoscunt Genebrardus & Bellarminus: & exponunt, vel voluntates eorum operum Dei: vel eorum, id est, Patris, Filii, Spiritus. Hoc tamen periculose; quasi trium personarum totidem essent voluntates. Kimchi exponit: *Cuilibet, qui volet in iis doctus esse.* Pagninus etiam, *Omnibus volentibus ea.* Tremellius, *Omnibus qui delectantur illis.* Vt appareat tum Augustinum, tum alios deceptos hoc errore: deinde etiam ambiguitate vocis *exquisita.* Nam quia Latine aliquando significat, quæ exacta sunt, & omnino recte se habent, existimarunt Prophetam laudare opera Dei à perfectione. At vero דרושים longe aliud sonat, nempe inquisita, atque inde inuenta: hoc sensu; non ita esse obscura aut difficilia, vt inquirendo inueniri, cognoscive nequirent. Postremus denique locus significare non potest, aut operationem, aut permissionem, aut prohibitionem. sed tantum præcepta: itaque debuit intelligi non de variis speciebus voluntatis: sed de variis rebus, siue capitibus, quæ Deus vult a piis viris fieri. Itaque omnino nullus locus est Scripturæ, quo nitatur hoc somnium.

X. Deinde voluntates istas, quo sensu dicant metaphoricas, id est, non voluntates, inquiramus. Nam si hoc sensu tantum, vt significent alias esse à decreto: hoc est, non semper fieri, vt quæ referuntur ad signum, ea Deus decreuerit reapse implenda: vt quum eius iussu Ionas prædixit, Niniuem destruendam: potest admitti: sed in præcepto, & prohibitione & consilio. Sed tum, quo iure ad voluntatem signi pertinere volent operationem? Aut quis vnquam admittet, Deum aliquid operari, quod tamen non decreuit? aut quomodo id consentiet cum Pauli verbis: *operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ*? Num sensum Bellarminus hunc saltem esse concedit, quæcunque Deus operatur, ea operari ex consilio certo? Itaque operatio præsupponet veram Dei voluntatem. Mitto de permissione dicere, quæ nostra est controuersia.

XI. Sin vero ita distinguũt, vt memini videre apud quosdam, vt beneplacitum sit actus voluntatis elicitus, signum autem imperatus: Non pugnem. Sed viderint quomodo negent Deum vllo modo velle malum pœnæ, quum tamen idipsum concedent permittere. Nam si permissio est voluntas signi: & voluntas signi est actus imperatus: Actus autem omnis imperatus supponit actum elicitum: profecto non potest permissio absque voluntate beneplaciti, quæ est actus elicitus.

XII. Quid? quod in voluntate signi negligentiores fuere: Nam si ita significatur modus omnis, quo hominibus apparet aliquid Deum velle: certe plures eiusmodi voluntates numerari debuerunt, quam quinque. Nam minæ, & promissiones, neque præcepta sunt, neque prohibitiones, neque permissiones, neque consilia, neque operationes. Et tamen ita proponuntur,

ponuntur, quasi sint voluntas Dei. Ita Niniuitis minatus est à Domino excidium Ionas. Ita Ezechiæ Regi mortem Isaias.

XIII. Veruntamen viderint ipsi, quo modo, quave distinguant ratione. Nos libentius τὴν προηγουμένην βουλὴν, & τὸ θέλημα εὐάρεστον, quod est apud Paulum ad Romanos 12. Vt illa sit decretum æterni consilii efficax ad operationem: hoc est, vniuersale, sine quo præeunte, nihil omnino aut fiat, aut etiam fieri queat, firmum & certum: ita vt eo præeunte omnia fiant, nec fieri non possint. Hæc vero approbatio, qua Deus gratum habet aliquid, propter bonum quod est in eo. Hoc θέλημα εὐάρεστον contractius illo decreto: quia non extendat sese ad omnia, quæ ab isto pendent. Sed omnia quidem decreta sint, quæ facta: hæc vero approbatio acceptet, quæ decreta sunt, nonnisi quadamtenus: id est, qua tanquam bona considerari possunt: nimirum qua entia. Rursus esse etiam nonnulla εὐάρεστα Θεῷ, quæ tamen decretum sit nunquam futura: vt quod apud Paulum 1. ad Timoth. 2. *omnes homines vult seruari*: Item omnes Israelitas abstinere ab idololatria: Absalomum honorare patrem: Dauidem castitatem colere & infinita eiusmodi.

XIV. Denique negari non patimur, Deum erga peccata habere positiuum velle. Nam voluntas decreti omnino est voluntas. Non patimur etiam dici, habere erga peccata nolle negatiue: habet enim nolle positiue habita τῆς εὐαρεστίας ratione. Non enim sunt opposita, velle vt sint peccata, & non approbare peccata. Quia ratio diuersa. Non enim eadem vult esse qua reprobat: vult esse quoad entitatem: non probat quoad qualitatem: & quidem multo distinctius; quam homo gaudet sibi natum filium, sed eundem dolet natum cęcum, aut claudum. Distinctius etiam, quam quisquam sibi membrum abscindi & vult, & tamen dolet.

XV. Si τὴν προηγουμένην βουλὴν appellari placet voluntatẽ beneplaciti: & τὸ θέλημα τὸ εὐάρεστον, signi, non moror: quia turpe syllabas aucupari & in Theologia λογομαχεῖν, etsi malim aliter, si sit integrũ. Nam nec beneplacitum propter ambiguitatem placet, respondet enim vtriq; , tum τῇ εὐδοκίᾳ, tum τῇ εὐαρεστίᾳ, quas tamen necesse est distingui. Nec signum arridet, quia εὐαρεστία non est signum voluntatis, sed voluntas.

XVI. Sed altera longe mirabilior subtilitas Sophistarum, distinguentium velle, & non nolle: Item nolle & non velle. Proh strophas verborum! Syllabarum vt oscillorum lusus! Nam si non sunt lusus, quid sunt quæso? Primo enim quis nescit Latinis illud nolle, esse nihil aliud quam non velle, contractis in vnum duobus vocabulis? docet Cicero in Orato ead Brutum *Ain' pro au-ne? nequire, pro non quire: malle, pro magis velle: nolle, pro non velle*. Ergo tam ridiculi sunt, qui distrahentes connexa, aliud dicunt nolle, aliud non velle: quam si quis neget nequire, esse non quire. Enimuero si secundum eos rectum non est Deum nolle peccata: sed rectum, Deum non velle peccata, sic enim numerato loquendum volunt, quasi quum pronunciantur carmina: quæso, hoc ipsum quod rectum est dicere, exprimant mihi eodem tempore, quo dico, Deus vult bona. An dicent, Deus non vult mala? At hoc omnes sciunt deduci, non ab illo Sophistico non velle; sed à Latino nolle. Rursus, quia negant nolle; sic tamen vt negent etiam velle: quæso, negent mihi Deum nolle, eodem ipso tempore. Quid fiet? nempe hoc, Deus non non vult: & sermonis monstra non sit qui videat? Quid autem cæteris linguis fiet? Hebraicæ, inquam, & Chaldaicæ, & Syriacæ, Græcæ, nostræ Gallicæ, Italicæ, Hispanicæ, aliisque fortasse multis, quas non noui? Nam illæ certe nullam habent vocem vnam, quæ respondeat verbo nolle, sed tantum negationem & velle. Genes. 24. אולי לא תאבה Chaldaice לא תיבי Græce, ἐὰν ἂν μὴ βούληται, Latine, *si noluerit*. Matthæi 18. *Ille autem noluit*, Græce, ὁ δὲ οὐκ ἤθελεν. Syriace הו דין לא צבא. Mirum Theologiæ genus, quod aut nulla, aut vix vlla possit hominum lingua concipere.

XVII. Et tamen citant ex Psalmo, *Non Deus volens iniquitatem tu es*. En tibi ipsissimam illam phrasin: en tibi puram putam scholam, quæ non audet dicere Deum nolle malum, sed tantum non velle.

XVIII. Vt nihil pudet! Nam hic locus ita Latine redditus duplici vitio laborat. Primo quidem ridicula affectione græcismi, cui nimium sæpe, quisquis ille fuit interpres, indulsit. Dixerunt Septuaginta ὁ θέλων coacti linguæ proprietate, quæ vt dixi, non potest aliter exprimere nolle: bonus ille interpres putauit inesse mysterium, & dixit, non volens. Hinc scholæ triumphi. At ego libens quæram à Bellarmino, quo iure hoc loco ὁ θέλειν sit non velle, potius quam Psalmo 36. οὐκ ἠβουλήθη συνιέναι? Nam hic Latina editio, *noluit intelligere*. Item 40. θυσίαν καὶ προσφορὰν οὐκ ἠθέλησας: *Sacrificium & oblationem noluisti*. Interpretandum ne erit de voluntate beneplaciti? Minime vero: alioquin non oblata essent, quæ nolebat offerri. An signi? Ergo erubescant scholæ αὐθέντου κοτύλισαι.

XIX. Alterum vitiũ: quia verbo ἐθέλειν siue velle non satis exprimitur Hebræum חפץ quo Propheta vtitur. Nam hoc quicunq; Musas Hebraicas salutarunt vel à limine, sciunt esse non simpliciter velle, sed cum affectu: vt proprie indicetur εὐαρεστία, siue beneplacitum. Vide ex his locis Iob 21. ודעת דרכיך לא חפצנו *Scientiam viarum tuarum noluimus*, Deuteronomii vigesimo quinto ואם לא יחפץ האיש *sin autem noluerit vir*. Quibus locis eandem ipsum phrasin reddit per nolle, quam ante per nõ velle, Latinus interpres. Ezechielis 18 החפץ אחפץ רשע מות *Nunquid voluntatis meæ est mors impij?* Mitto alios. Sed hanc ob causam Munsterus hunc nostrum vertit. *Tu es Deus cui non placet iniquitas*. Theodoretus exposuit, *omnem iniquitatem respuit*. Lombardus, *Deum esse, & placere iniquitatem, nunquam conueniunt*. Imo Bellarminus extra disputationis feruorem sedatior, *Materia præcipua contemplationis meæ erit considerare, nihil te magis odisse quam peccatum*, Et Sa: *quasi dicat non tibi placere peccatum* Ergo Propheta non negatiue intelligendus: quasi diceret nec velle Deum, nec nolle Deum iniquitatem: sed omnino positiue nolle, id est, odio habere. Quare illud non positiuæ voluntatis somnium est mere phanaticum: hoc est, æque falsum in Theologia, ac barbarum in Grammatica.

XX Et sane, quis vel imaginari potest, quomodo possit fieri, vt Deus & sciens, & curam habens omnium, tamen aliquid neque velit, neque nolit? Sic enim argumentor: Deus mala euentura vel curat, vel non curat: si curat: ergo non habet se indifferenter, vt æque nolit & velit: nam id contrarium est curæ. Si non curat, ergo vel scit, vel nescit. At nescire Deũ mala aut non nosse, & quando, & quomodo eueniant; indignum Deo, alienum à Fide Christiana: quæ certum habet præscire omnia Deum. Scire autem nec curare, ac susque deque habere, Epicuro olim asserenti, maxima pars Ethnicorum reclamauit: quid Christianorum? Hi sane tum prouidentiam, tum potentiam, multo norunt melius: multoque confitentur magnificentius. At neutra salua esse potest, nisi & scire & curare omnia Deum constiterit.

XXI. Nam quod Bellarminus putat, huiusce consequentiæ vim euadere, frustra est. etiamsi, inquit, Deus non velit peccata fieri: tamen nouit ea futura, & posset impedire, si vellet: proinde non fiunt eo imprudẽte.

XXII. Negat ergo, inquam, Deum nescire: ac proinde satisfacit ei parti dilemmatis, quæ peccabat contra scientiã Dei. Atqui hoc est, quod pro absurdissimo habent Catholici: vt sciant Dei scientiam, ac prouidentiam ad omnia sese extendere: & tamen audiant, ita scire mala Deum, vt tamen sit, quod aiunt, alba linea, neque volens, neque curãs. Itaque non satisfit alteri parti dilemmatis.

XXIII. Imo, inquit, ea vult non impedire, vult permittere, vult ordinare, vult punire. Ergo, inquam, non habet se mere ἀδιαφόρως, vt nec velit, nec nolit, saltem per accidens. Qui enim fieri potest, vt velit punire mala, quæ verba significant positiue voluntatem: & tamen non velit ea fieri? Plusquam pepones oportet esse, qui hæc simul animo concipiunt. Nam si vult punire positiue: Ergo ea voluntas determinat aliquid: non autem incertum; vt, quum Esau proficiscebatur ad venationem, habebat quidem in animo aliquid venari; sed indeterminate, non autem determinate illum ceruum. Non, inquam, sic Deus fertur in incertum: nam id alienum à prouidentia: imo à præscientia. Atqui necesse est, vel in incertum, vel determinate. Et si determinate vult punire, ergo determinate vult hoc peccatum esse, quod puniatur. Exempli gratia; vult Absalomi incestum esse, siue ab Absalomo incestum committi; quia vult de hoc ipso Absalomi incesto pœnas sumere.

XXIV. Satisfaciendum tamen argumento Bellarmini. Id erat: Nullus bonus vult peccata. At Deus est bonus: ergo Deus non vult peccata. Respondeo, distinguendum hunc terminum Bonus, Nam bonum esse vel summe, vel participatiue, Summe bonus is est, cuius voluntas est ipsa bonitatis regula. Participatiue bonus, est, cuius voluntas pendet à voluntate summi boni. De eo, qui tantum est participatiue bonus; conceditur maior, quia vetita sunt illi absolute omnia peccata à summo bono. Sed negatur de absolute bono: quia Deus nulli legi subiicitur, præter suam ipsius voluntatem. Præterea si argumentum sit de eo, qui est summe bonus; distinguitur peccatum, qua ens, aut qua peccatum. Et de ente negatur maior.

XXV. Venio ad Augustinum. Is negat peccata fieri præter Dei voluntatem. Bellarminus hoc negat intelligendum, quasi Deus id velit fieri. At hoc falsum, nisi, pro suo iure nouo, nouam nobis latinitatem cudat. Præter voluntatem nostram, id fieri dicitur, quod nos nolumus fieri: ergo, quum negatur præter voluntatem nostram fieri, id significat secundum eam fieri. At secum ipse pugnaret Augustinus. Quamobrem vero? Atque hic deficit Bellarminus: non probat, inquam, sibi Augustinum contradicere: quod nos tamen sciuit negaturos.

XXVI. Sed quo sensu tamen? Bellarminus: Quia Deus velit, aut non fieri, aut puniri. Rursus, quia velit permittere ordinaturus.

XXVII. At primo Augustinus duplicem caussam ita nunquam distinguit: neque illi permittere aliud est, quam velle fieri, vt postea docebimus. Vna illi caussa connexa ex duabus Bellarmini. Esse igitur mala, quia Deus permittat; bene vsurus siue ordinaturus. Vel potius Augustino series est caussarum: esse mala, quia Deus permittit: Deum permittere, quia bonum sit mala esse: & bonum sit, quia is bene vsurus sit.

XXVIII. Secundo, illud velit non fieri, aut puniri, dupliciter peccat. Primo, non ita Augustinus, discrete, sed potius coniuncte, Vult fieri, & puniri. Vult fieri: quia non fiunt præter eius voluntatem: nempe τῆς εὐδοκίας: puniri: quia fiunt contra eius voluntatem, τῆς εὐαρεστίας Deinde illud aut puniri, minus est quam Augustinus dixerit: qui non punitionem tantum peccantium attigit; sed addidit etiam alteram partem de salute, *Bene vtens & malis, tanquam summe bonus, ad eorum damnationem, quos iuste prædestinauit ad pœnam, & eorum salutem, quos benigne prædestinauit ad gratiam*. Nempe, vt ex malis doceat geminum bonum elici à Deo: vtrumque Bellarminus complecti debuit: quo enim magis apparet, quam prudenter, potenterque Deus bene vertit mala, eo magis conficitur, illum velle mala, aliquomodo quidẽ, non absolute, sed non tamẽ non positiue.

XXIX. Tertio, quid hoc est? Non fieri præter Dei voluntatem, non eo dictum esse ab Augustino, quia Deus velit: sed tantum, vel quia non simpliciter velit non fieri, vel quia velit permittere? Aut quis has verborum ambages intelligat? & si intelligat, non rideat? vt quis non velit nõ fieri, & tamen verum non sit illũ velle ad ipsum fieri. Velit permittere, & tamẽ non velit. At tu mihi masculam Augustini phrasen obseruato, *Per eandem creaturæ voluntatem, qua factum est quod creator noluit, impleret ipse quod voluit*. Nam & voluit dixit, non quomodo nostri effeminati Sophistæ, non noluit: & rursus voluit, non quomodo garriunt hodie, non negatiue noluit, siue voluit non positiue, hoc est, non noluit, hoc est tandem, neque voluit, neque noluit. Videlicet hoc illi acciderat infortunii, vt non viueret sub horum ferula, nouamque latinitatem disceret, qua Sophisticam Theologiam velaret. Interea perspicuum est, Augustinum dicere, non fieri mala præter Dei voluntatem: quia per ea fit quod ipse voluit. Itaque, quia non tantum, quia non noluit.

XXX. Quarto, permitti mala fateor Augustinũ dicere, sed eã permissionem, quo iure Bellarminus opponat voluntati, quæro. Non .n. agitur de Bellarmini, siue Thomæ, siue alterius cuiuspiã, sed de Augustini mente. Itaq; attendendũ, non, vtrum alterius cuiusquã sensu, permissio, & voluntas opponantur; sed vtrũ ea sit Augustini sententia. Atq; adeo ea perpetuo est Papistarum Sophistice. Quum vrgentur vel è Scripturis, vel è Patribus, ad distinctiunculam confugiunt; sibi suoque æuo cognitam, vtrum autem etiam Scripturæ, aut Patribus, susq; deque habent.

XXXI.

XXXI. Sentit ergo Bellarminus, Augustinum dicere, mala non fieri præter Dei voluntatem: non quod ea Deus velit fieri, sed quod velit permittere. Vnde sequitur, Deū non velle fieri peccata, sed velle permittere. Itaque velle fieri, & velle permittere, discreta sunt, vt vnum non sit alterum. Hoc ipsum, inquam, quæro, quo sensu, quo iure dixerit. Nam hæc effata ambo habent commune velle: vnum autem fieri: alterum permittere. Quid ergo? illud ne permittere excludit alterum fieri? Ridiculum, nisi forte hic etiam nouam nobis grammaticam excudat; vt quum negat non velle, idem esse, ac nolle. Nam ex vsu communi permittere necessario infert fieri. Sic Matth. 19. *Permisit vobis dimittere vxores.* Luc. 8. *Rogabant eum, vt permitteret eis in illos ingredi.* Act. 21. *Permitte mihi loqui ad populum.* Nec quisquam vnquam alio sensu vsurpauit id vocabuli. Imo Bellarminus, velle permittere vt fiant: diuinet ergo qui poterit, quæ sit oppositio inter velle fieri, & velle permittere vt fiant.

XXXII. Verum audiamus Augustinum ipsum Interpretem. Capite 95. Enchiridii, *Non ergo fit aliquid, nisi omnipotens fieri velit, vel sinendo vt fiat, vel ipse faciendo.* Audin' quam rotunde: fieri velit? At negabat Bellarminus. Audin' rursum eum, qui sinit, id est, permittit vt fiat, velle fieri? At disparabat Bellarminus, cap. 100. *Nec vtique nolens sinit, sed volens.* Rursus cap. 96. *Quamuis quæ mala sunt, in quantum mala sunt, non sunt bona: tamen vt non solum bona, sed etiam sint & mala, bonum est.* Hinc vero firmissimum est argumentum: quia bona fieri nolente Deo concedunt aduersarii: & mala fieri bonum esse dicit Augustinus. Ergo mala fieri non tantum non nolente, vt isti loquuntur delicatuli, sed etiam volente, confiteri oportet: aut certe asserere aliquid boni fieri ipso non volente, quod est absurdum.

XXXIII. Atque ab iis laqueis frustra euasurum se putat Bellarminus. Velle fieri mala, inquit, est malæ voluntatis: quæ vel delectatur malis, vel vti vult eis ad bona: contra regulam, *Non sunt facienda mala, vt eueniant bona.* At velle permittere mala potest esse bonæ voluntatis: præsertim in summo rerum omnium moderatore. Itaque, cum Augustinus dicit, Deum permittere mala non nolentem, sed volentem, intelligimus Deum permittere non inuitum, sed volentem permittere: non autem proprie volentem illa fieri. Itaq; se ipse explicat quum dicit nihil fieri, nisi Deus velit fieri, aut sinendo vt fiat, aut ipse faciendo: quod non diceret, si proprie vellet tam bona quam mala.

XXXIV. Retexamus: Velle fieri mala est malæ voluntatis. At hoc iam falsum. Contra Augustinus, Bonum esse, vt sint etiam mala. At fieri mala, & esse mala, idem sunt. Ergo fieri mala bonum est. At velle bonum, non est voluntatis malæ: Ergo velle fieri mala, non est voluntatis malæ, necessario. Nam qui vult fieri mala, potest ita velle, vt hoc tantum velit, nempe esse mala: quod si bonum est, tum profecto non est necesse eam esse malam voluntatem, quæ vult fieri, id est, esse mala.

XXXV. Instat: Quicunque vult mala, aut delectatur malis, aut iis vti vult ad bona. Concedatur partitio. At vtrumque hoc malum est; id vero negandum. Malum est delectari malis, propterea concedimus Deum non delectari malis: ob eamque caussam distinctum est prius inter εὐδοκίαν, & ἀπαρεσκίαν. At vti malis ad bona, non est perpetuo malum: aliquando enim bonum. Nam eam ob caussam non veretur Augustinus dicere, bonum esse vt sint, id est, vt fiant mala. Quod ne cogitari quidem potest, nisi quia verti possunt in bonum.

XXXVI. At Apostolus negat esse facienda mala, vt eueniant bona. Respondeo, primo Apostoli verba hæc sunt, *An non potius dicimus, sicut de nobis mali loquuntur, & sicut quidam aiunt, nos dicere, faciamus mala, vt eueniant bona, quorum damnatio iusta est.* Diserte, faciamus: vt de nobis, id est, hominibus se loqui intelligas, quibus lex aliqua posita est, a qua si discedant, peccent. At Deo nulla lex est posita. Indignum est autem iisdem legibus eum subiicere, cum hominibus.

XXXVII. Secundo, argumentum vagatur extra oleas. Nemo bonus facit malum, vt eueniat bonum. At Deus est bonus. Ergo Deus non facit malum, vt eueniat bonum. Concedo. Imo Deus non tantum non facit malum, vt eueniat bonum: sed omnino non facit malum. Neque de eo vlla nostra disputatio est. At non similiter; Nemo bonus vult mala, vt eueniant bona: sed tantum bonus ille, qui est participatiue bonus.

XXXVIII. Neque in eo quicquam difficilius, quam in altero, quod pro eo Bellarminus obtendit: Velle, inquit, permittere mala, potest esse bonæ voluntatis: præsertim in summo rerum omnium moderatore. Nam quid illud *præsertim*? Vel enim applicat generale axioma: vt sit, etiam in aliis quam summo moderatore, id verum esse. Vel arctat, vt sit in illo tantum id verum. At prius illud falsum. Augustinus contra Iulianum lib. 5. c. 3. *Nos certe si eos, in quos nobis potestas est, ante oculos nostros perpetrare scelera permittimus, rei cum ipsis erimus.* Posterius autem verum. Sed quæ ratio diuersitatis? Nimirum hæc vna, quia Deus summus: Illi non summi. Ille lege omni solutus præter voluntatem suam: Isti autem obnoxii summæ voluntati, quæ hanc eis legem posuit, vt nolint mala: hoc est, neque ipsi faciant; neque ab aliis permittant fieri. Itaque, vel eadem lex æque prohibet permitti mala, ac velle. Vel eadem ratio æque probabit, Deum velle & permittere: contra quam putauit.

XXXIX. Sed vide mihi Bellarm. artificiū. Dixit August. *Neq; vtiq; nolens sinit, sed volens.* Id dictū ita arripit, ac si suum illud nō nolle, totidem syllabis legisset expressum. Itaq; dixit, Augustinū dicere, Deū permittere non nolentē. Atqui non ita est: dixit enim, non sinere nolentē, non vero sinere nō nolentē. Euinco trib. argumentis. Primo, quia inepta esset discretio, sinere nō nolentem, & sinere volentem. Nam Bellarmino nō nolle, non significat velle: ergo falso Augustinus diceret, sinit nō nolens, sed volens: Nam etsi concedat Bellarm. sinere non nolentem; tamen nō concedit sinere volentem. Secundo, ex contextu. *Non fieret si non sineret: neque vtiq; nolens sinit:* Vident enim omnes ita constare syntaxin: si non sineret, & nec sinit: vt negatio referatur ad verbū. Tertio, quia c. 96 *Non enim hoc nisi iusto iudicio sinit.* At iustū iudiciū non est tantū nō nolle, sed etiā velle.

XL. Iam quod negat Augustinum fuisse dicturū, nihil fieri nisi Deus velit, aut sinendo vt fiat; aut ipse faciendo; si Deus proprie vellet tā bona q̄ mala: nō recte conceptū est: debuit enim dicere, si Deus eod. modo vellet, tam bona, q̄ mala. Nam velle proprie mala, satis indicat, quum asserit iusto iudicio sinere. Est n. iustum iudicium, proprie voluntas; & quidem τῆς εὐδοκίας beneplaciti. Sed tamē alio modo vult bona, alio mala: nempe illa quidē per se, & voluntate decreti, a quo est entitas actionis, nō v. defectus agentis, vnde vis distinctionis; vel sinēdo fieri, quia à Deo non fiunt proprie mala sed ab hominibus; vel faciendo, quia ab eo proprie bona fiunt.

XLI. Quid autē? Negetne ab Augustino dici bonū esse mala fieri? Minime: non potuit. Audite ergo acumē Bonū est, inquit, vt sint Deo permittente, nō Deo agente & volente. Itane? Atqui repetamus. *Quamuis ea quæ mala sunt, in quantū mala sunt, nō sint bona: tamen vt nō solū bona, sed etiam sint & mala, bonū est.* Nam nisi esset hoc bonū, vt essent & mala, nullo modo esse sinerentur ab Omnipotente bono: cui procul dubio, q̄ facile est quod vult facere: tam facile est, quod non vult esse nō sinere. Quæstio, vtrū bonū sit esse mala, & erat quæstio instar paradoxi: sed sensus, autore Bellar. vtrum bonū sit esse mala Deo permittente. Affirmatiuam partem Augustin probat: Argumentum sumit; quia esse sinuntur à Deo, id est, permittuntur. Ergo iuxta Bellarminum idem erit, ac si diceret Bonum est, vt mala sint, permittente Deo; quia esse permittuntur à Deo: & quia mala esse, permittente Deo, significat mala permitti a Deo: tandem eo deuenitur, vt bonum sit mala permitti a Deo, quia permittuntur à Deo. Egregiam laudem, & spolia ampla. Et quis ita arguentem audiens dixerit vnquam, *A dialectica Augustini libera nos Domine*? Sed hoc si est supra modum ridiculum: ergo manet certum argumentum: Quæcunqne bonum est fieri, ea fiunt à Deo, non tantum non nolente, sed etiam volente. At mala fieri bonum est: ergo mala fiunt non tantum non nolente, sed etiam volente Deo.

XLII. Porro non tantum docet Augustinus certa Dei voluntate euenire mala: sed etiam eam voluntatem non esse operatione energiaq; destitutam. Atque in eo multus est toto capite tertio libri quinti contra Iulianum Pelagianum; vt doceat peccata non tantum esse peccata, sed et peccatorum præcedentium pœnas, atque eatenus fieri iusto Dei iudicio, quod Iulianus prolixe impugnabat, imo irridebat potius & exagitabat. De cæcitate Iudæorū, *Fuit Iudæis grande incredulitatis malum: & grandis caussa peccati vt occiderent Christum. Iam istam cæcitatem, si pœnam fuisse negaueris, similem te perpeti etiam non confitens iudicabis. Sin autem pœnam quidem fuisse, sed peccati pœnam fuisse contendis, iterum fateris, quod vnum aliquid & peccatum esse possit & pœna. Si autem non est hæc pœna peccati profecto iniqua pœna est: & iniustum facis Deum, quo iubente, vel sinente, aut infirmū, quo nō auertente, infligitur innocenti.* Et rursus commemoratis exemplis ex Esaiæ 19 ac 63 & 64. Ios. 11. 2. Chronic. 25. *multa alia,* inquit, *commemorare possemus in quibus liquido appareat, occulto iudicio Dei fieri peruersitatem cordis, vt non audiatur quod verum dicitur, & inde peccetur: & sit ipsum peccatum præcedentis etiam pœna peccati. Nam credere mendacio & non credere veritati, vtique peccatum est. Venit tamen ab ea cæcitate cordis, quæ occulto iudicio Dei, sed tamen iusto, etiam pœna peccati monstratur.* Et iterum de Achabo seducto Prophetarum mendaciis, *Quid ad ista dicturus es? Nempe Rex ipse peccauit falsis credendo Prophetis. At hæc ipsa erat & pœna peccati Deo iudicante, Deo monente Angelum malum, vt apertius intelligeremus quomodo in Psalmo dictum est, misisse iram indignationis suæ per Angelos malos.* Et postea; *Quis enim dicat non peccasse spiritui credendo mendaci? Quis dicat hoc peccatum pœnam non fuisse peccati venientem de iudicio Dei, ad quem legit mendacem spiritum siue missum, siue permissum?* Itē paulo post. *Tradit ergo Deus in passiones ignominiæ, vt fiant quæ nō conueniunt, sed ipse conuenienter tradit, & fiunt eadē peccata, & peccatorum supplicia præteritorū, & suppliciorū merita futurorū, sicut tradidit Achab in pseudoprophetarū mendacium: sicut tradidit Roboam in falsum consiliū: facit hæc miris & ineffabilib. modis, qui nouit iusta iudicia sua non solum in corporibus hominum, sed & in ipsis cordibus operari.*

XLIII. Ista Bellarminus dissimulauit, Ideo alia descripsit. Prius ex verbis Pauli ad Roman. 1. *Tradidit eos in passiones ignominiæ.* Augustinus ergo, *Sequitur,* inquit, *propter hoc tradidit illos Deus in passiones ignominiæ. Audis propter hoc & quæris inaniter, quomodo intelligendus sit tradere Deus: multum laborans, vt ostendas eum tradere deserendo.* His verbis, inquit, videtur Augustinus non admittere Iuliani explicationem. Respondet autem non eam ob caussam Iulianum reprehendi: sed quia dixerit, vnum peccatum non esse pœnam alterius peccati, atque id hinc ostendere conaretur. Sed Bellarminus, nihil nisi vmbram oppugnat suam, non vllum refutat argumentum nostrum. Nunquam, ex his verbis Caluinus, nunquam Beza, quicquam probauit. Itaque quærat sane in hoc mustaceo lauream. Per me licet.

XLIV. Alter est disertior. *Quid est autem quod dicis, quum desideriis suis traditi dicuntur, relicti per diuinā potentiam intelligendi sunt, non per potentiam in peccata compulsi?* Sententia erat Iuliani, verba Pauli pro arbitrio torquentis: & patientiam, id est, permissionem separantis à potentia. Sed vir Sanctus respondet *Quasi non simul posuerit hæc duo idem Apostolus, & patientiam, & potentiam, vbi ait: si autem Deus volens ostendere iram, & demonstrare potentiam suam, tulit in multa patientia vasa iræ, quæ perfecta sunt in perditionem.* Quasi diceret, ineptam esse elusionem, absurdeque separari patientiam à potentia: quum tamen eas Apostolus nono ad Romanos, coniunxerit. Vnde quis non colligat Augustino displicuisse eam sophisticen, quæ in hoc argumento permissionem nudam ponit seorsim ab energia, hoc est potentia.

XLV. Bellarminus explicat, Iuliani sententiam fuisse, ideo dici Deum aliquos tradere suis desideriis, quia patienter illos toleret; & impunitos ad tempus relinquat, eoq; sensu solam patientiam nominasse. Hanc sententiam merito improbari. Porro potentiam Dei cerni in obduratione peccantium: vel quia sic obduratos punit: vel quia malas voluntates mirabiliter torqueat, regat, ordinet, vt ex eis bonum eliciat & faciat. Tamen non admitti impios a Deo per potentiam in peccata compelli.

XLVI. Sed hoc postremum de non compellendis in peccatum impiis per Dei potentiam, frustra in scenam venit. Manichæis obiiciatur sane: Catholicis, quo iure? Nam hi peccati autorem nunquam constituant. Quod piget toties repetere. Nō compellit Deus impios potenter ad peccata, quamuis non fiat per solam patientiam Dei id in quo homines peccant, sed etiam per potentiam. Quod intelligendum, non tantum de fine, quum tamen sit verissimum, Deum in impiis puniendis magnifice demōstrare suam potentiam: sed etiam de voluntatis inflexione, ordinatio-

ne. Atq; hanc ipsam non esse duntaxat, quum malæ voluntates, quæ peccatum apud se conceperunt, torquentur in bonum euentum: sicut sæpe ventus suo impetu sagittam emissam deflectit à scopo: sed etiam esse in ipsa actionis entitate energiam. Hanc esse Augustini sententiam probatur tribus argumentis.

XLVII. Primum argumentum à toto contextu. Agit enim non de puniendis peccatoribus simpliciter: sed de puniendis per alia peccata: vt sit sensus, elucere potentiam Dei in puniendis peccatoribus per posteriora peccata. Itaq; potentiam elucere vult, non simpliciter in pœnis, vt in gehenna ignis; & in temporalibus etiam pœnis: sed in peccatis, exempli gratia: in Achabi occæcatione: quæ fuit eius magnum peccatũ; sed tamen eiusdem præcedentium erratorum magna præsensq; pœna. Potentia Dei fuit in efficiendo, vt Achab fidem haberet pseudoprophetis; mira illa quidem, sed iusta; id est, expers peccati.

XLVIII Secundum argumentum: ab exemplis quæ statim subiunguntur ad id ipsum illustrandum; quæ omnia sunt non pœnarum simpliciter; sed peccatorum vt Prophetæ decepti, & Achabi seducti.

XLIX. Tertium; ex eo quod diserte scripsit, Deum non solũ in corporib. hominum, sed etiã in cordib. operari sua iudicia. Nam & quum iudicia nominat, id ipsum significat: quis enim iudicem appellet, qui nihil nisi nude permittat? & verbum operari disertius est, quam vt illud Sophistica obscurari queat.

L. Rursus sentit Augustinus, Deum in cordib. impiorum efficaciter operari, etiam tum quum ad male agendum feruntur. De Prædestinatione Sanctorũ c. 10. *Regnorum & Paralipomenon Scriptura teste probauimus quũ Deus vult fieri, quod non nisi volentib. hominib. oportet fieri, inclinari eorũ corda, vt hoc velint, eo scilicet inclinante, qui in nobis mirabili modo, & ineffabili operatur & velle.* De Gratia & Libero arbit. c. 20. *Scriptura diuina sidiligenter inspiciatur, ostendit non solum bonas hominum voluntates, quas ipse facit ex malis, & à se factas bonas in actus bonos, & in æternam dirigit vitam: verum etiam illas, quæ conseruant sæculi creaturã, ita in Dei esse potestate, vt eas, quo voluerit, quando voluerit, faciat inclinari, vel ad beneficia quibusdam præstanda, vel ad pœnas quibusdam ingerendas, sicut ipse iudicat, occultissimo quidem iudicio, sed sine dubitatione certissimo.* Et subiicit exempla tum Iudæorum fugientium iuxta Hai: tum hostium quorum cor confortatum fuit à Deo contra Israelem. Semei etiam maledicentis Dauid: cuius voluntatem proprio suo vitio malam, in hoc peccatum, iusto suo, & occulto iudicio Deus inclinauit. Item Absalomi. Tum vero initio 21. c. *Quis non ista iudicia diuina contremiscat, quib. agit Deus in cordib. etiam malorum hominum, quicquid vult, reddens tamen eis secundum merita eorũ?* Sic adhibentur exempla Roboami respuentis salubre consilium seniorũ, indeq; secutæ Tribuum distractiones: Philistæorum etiam & Arabum ascendentium in terram Iuda. *Agit Omnipotens,* inquit, *in cordib. hominum, etiam motum voluntatis eorum, vt per eos agat, quod per eos agere voluerit qui omnino iniuste aliquid velle non nouit.* Adde ex tertio capite quinti contra Iulianum, id quod paulo ante fuit recitatum, Deum operari in cordibus, non tantum in corporibus hominum.

LI. Horum locorum vim tantam, leuissima declinatione, quasi corporis, elusurum sese Ballar. sperauit, vt vbi vires desunt, sæpe audacia ceptum latrones id sperant cõficere: Deum operari in cordibus, nimirum, ad vnum malum inclinando potius quam ad aliud: non quidem malitiam inserendo, aut inclinata corda ad bonum peruertendo: sed inclinata proprio ad malum vitio, impediendo ne ferantur in aliud.

LII. En laureas! En trophæa! & facilia quidem: quando cum laruis duntaxat pugna fuit. Sed non efficiunt, vt non disertissime dixerit Augustinus, non tantum inclinare corda, & voluntates, sed etiam agere in cordibus quicquid vult: neq; hoc tantum, sed etiam agere motum voluntatis. At qui canalem ducit, inflectit quidem aquam, sed in aqua nihil operatur, minus minus agit aquæ motum.

LIII. Pergo, docet insuper Augustinus, tum malos homines, tum etiã diabolos ipsos, esse Dei instrumenta: quod in Caluino Sophistæ tam virulenter exagitant. Vt libro de Gratia & Libero arbit. c. 20. *Ecce quomodo probatur, Deum vti cordibus etiam malorum, ad laudem atq; adiumentũ bonorum. Sic vsus est Iuda tradente Christum, sic vsus vel Iudæis crucifigentibus Christum. Et quanta inde bona præstitit populis credituris? Qui & ipse diabolo vtitur pessimo, sed optime ad exercendam & probandam fidẽ & pietatẽ bonorũ.* Confessionum noni lib. c. 8. quum confiteretur matrem curatam à vinolentia, per conuitium ancillæ consciæ: agnoscit fuisse id ferrum medicinale, quo Deus ad eam sanandam vsus est. *Quid egisti Deus meus? Vnde curasti? Vnde sanasti? nonne protulisti durum, & acutum ex altera anima conuicium, tanquam medicinale ferrum, ex occultis prouisionibus tuis, & vno ictu putredinem illam præcidisti? Tu Domine rector cœli, tum & terrenorum, ad vsus tuos contorquens profunda torrentis: fluxum seculorum ordinans turbulentum: etiam de alterius animæ insania, sanasti alteram, ne quisquam cum hoc aduertit, potentiæ tuæ tribuat, si verbo eius alter corrigatur, quem vult corrigi.*

LIV. Hunc de Monica locum solum Bellar. considerat. Negat inciratam à Deo ancillam, vel compulsam ad conuicium: sed conuicium iam animo conceptum, & foras erumpens à Dei prouidentia ordinatum fuisse ad vitium Monicæ sanandum. Probat ex verbis: quum dicit, ad vsus suos Deum contorquere profunda torrentis fluxumq; seculorum turbulentum.

LV. Sed euasio est similis aliarum. Quum nihil aliud potest, conuertit se ad calumniam exagitandam, quatum Caluinum, tum omnes Catholicos immerito grauat. At Augustinus diserte agnoscit Deum vsum illo conuicio, vt medicum ferro. Si ergo ferrum medico instrumentum est ad sananda vulnera: ergo & Deo conuicium illud ad Monicam curandam. Hanc tam potentem comparationem frustra eludant omnes Sophistæ: ab ea potius elidendi. Deinde conuicium illud agnoscit prolatum ex occultis prouisionib. Dei. Ergo inquam, non fortuito oblatum: imo vero, ne à se quidem ipso temere erumpens aut etiam offerens sese, subitaneo, tumultuarioq; consilio vsurpatum: quomodo Turnus apud Virgilium:

> *---- Saxum circunspicit ingens,*
> *Saxum antiquum ingens, campo qui forte iacebat,*
> *Limes agro positus, litem vt discerneret aruis.*
> *Ille manu raptum trepida torquebat in hostem.*

Sed certo ratoq; consilio delectum, in eosq; vsus tum temporis adhibitum: conuicium, inquã, illud: Ancillæ peccatum, Dei ferrum: peccatum ex ancillæ nequitia, ferrum ex Dei sapientia. Adde ex præcedentibus. Deum operari in cordib. impiorum & confecta res erit. Nam si tantum ex conuicio iam cõcepto, iamq; erumpente, vsus est ad sanandam Monicã: ergo nihil operatus est in corde ancillæ, sed duntaxat Monicæ.

LVI. Quid iã supereſt? Ostenditur Augustinus credere etiã mala fieri à Deo volente nec volente tantũ: sed etiã efficaciter operante: operante autẽ nõ in corporib. duntaxat, sed & in cordibus: cordib. reproborum, & si ita licet loqui, diabolorum. Deniq; non volente duntaxat, sed etiã vtente peccato tanquam instrumento. Quid ergo est, quod improbent in Catholis Papistæ?

LVII. Absoluamus, & quomodo Deum Augustinus à peccato faciat alienum consideremus. Enchiridij c. 101. *Aliquando bona voluntate homo vult aliquid, quod Deus non vult, etiam ipse bona multo amplius, multoq; certius voluntate. Nam illius mala voluntas nunquam esse potest. Tanquam si bonus filius patrem vult viuere, quem Deus bona voluntate vult mori. Et rursus fieri potest, vt hoc velit homo voluntate mala quod Deus vult bona: velut si malus filius velit mori patrem, velit hoc etiam Deus. Nempe ille vult quod non vult Deus: iste vero id vult, quod & vult Deus: & tamen bona voluntati Dei pietas illius potius consonat, quamuis aliud volentis, quam huius idem volentis impietas. Tantum interest, quid velle homini, quid Deo congruat: & ad quem finem suam quisq; referat voluntatem, vt aut approbetur, aut improbetur.*

LVIII. Quid hic Bellarminus? Distinguit res eas, quæ sunt per se malæ: ab iis, quę sunt malæ, ratione præcepti positiui, eas prohibentis. Illas nullo casu posse fieri bene: Itaq; in eis nunquã Deum velle id qp homines mali. In his vero facile fieri posse, vtidẽ bene velit, Deus quod male vult homo: & bene velit, quod bene non vult homo. Ad has pertinere tum exempla, tum verba Augustini.

LIX. Mirum, si serio Bellarminus agit: & non potius ludos miscet. Nã primo quod dicit, quædam esse ita mala per se, vt nullo casu fieri possint bene: id quidẽ est directe contra Augustinum, negantẽ Deum permissurum fieri mala, nisi bonum esset fieri etiam mala. Ac respondeat, si lubet, quo loco incestum Absalomi constituat. Nos certe in reb. per se malis: & tamen ea fuit iusta Dauidis pœna. Ergo hoc saltem casu bene factum est: non quidem ab Absalomo: sed à Deo per Absalomum. Quod si sic tamen intelligat, quædam esse, quæ ab hominib. nullo casu bene fieri possint: non contradicimus: & in eo ordine ponimus omnia, quæ sunt à Deo prohibita: in quibus tamen non raro Papistæ bonam intentionem exultant. Sed ab hominibus ad Deum nulla consequentia est: vt si illi illa non possunt; ideo ne Deus quidem bene possit procurare. Etenim vnum idemq; opus, & Deus voluit & Absalomus. Tamen hic quidẽ nihil nisi incestum perpetrauit; quod nullo casu potuit bene. Sed Deus pœnam Dauidi propinauit, quam etiam per incestum iuste potuit velle, nec tantum velle, sed etiam potenter infligere.

LX. Secundo, factum agi ab Augustino de rebus illis per se indifferentibus, quæq; mali rationem non habebant, nisi ex positiua prohibitione. Nam tum antecedentia, tum consequentia ostendunt agi de rebus per se malis: per quas Deus voluntatẽ suam perficit. Nã capitis centesimi manifestissima Thesis in eam rem. Tum sequentium series ista est. *Tantum interest* (& postrema clausula loci iam descripti) *quod velle homini quid Deo congruat, & ad quem finem suam quisque referat voluntatem, vt approbetur, aut improbetur.* sequitur: *Nam Deus quasdam voluntates suas, vtiq; bonas implet per malorum hominum voluntates malas. Sicut per Iudæos maleuolos, bona voluntate Patris, Christus pro nobis occisus est.*

LXI. Manifeste igitur in exemplis nugatur. Nam etsi mors hominis per se nec bona sit, nec mala: & eam in exemplum Augustinus protulerit: Non tamen sequitur, disputari de eo rerum genere. Nam quis nescit exemplis etiam aliena illustrandis, & propositionibus, & argumentis vti? a esse? Aut quis vnquam sanciuit, nulla adsciscenda, nisi ex eadem, de qua agitur, materia? Dixerat Augustinus per peccatum & Angelorũ & hominum, impleri voluntatem Dei. Inde quæstio non exigua; quomodo ergo iustus sit Deus. Hanc ille soluit hoc axiomate: Deũ non raro velle qp vult creatura voluntate cõtraria. Hoc axioma demonstratur exemplo filij boni, qui non vult mortẽ patris, quã tamẽ Deus vult. Quod exemplum non pertinere ad propositam quæstionem, inde manifestum est; quod per eam voluntatem boni filij non impletur voluntas Dei, volentis mortem patris. Rursus exemplo mali filij qui vult mortẽ patris, quã Deus vult. Quod quidẽ neq; ad Thesin pertinet, nisi per accidens: non enim quicunq; vult patrẽ mori, idem patiẽ occidit, vt per eum impleatur volũtas Dei. Deniq; sensus est: Sic Deum velle bene peccatum; quod homo vult male: quomodo Deus bene vult mortem patris alicuius, quã eandem male vult filius.

CAP. IX.

A Catholicis non constitui Deum autorem peccati.

I. HACtenus Catholicorum argumenta fuerunt. Supersunt Bellarmini contra Catholicos. Primum est: quia ex eorum doctrina consequitur hoc absurdũ. Deũ esse autorẽ peccati. Id probat trib. argumẽtis.

II. Primo; Quicunq; impellit & cogit alium ad opus quodcunq; faciendum, eiusdẽ operis autor primarius est, & dicitur apud omnes gentes. At Deus, ex sententia Catholicorum, impellit & cogit homines ad peccata, quæ ab iis perpetrantur. Ergo Deus, autor est eorum peccatorũ, quæ ab hominib. perpetrantur. Probat assumptum: Institutionis lib. 1. c. 10 § 8. *Homo iusto Dei impulsu agit quod sibi non licet.* Et c. 17. §. 11. impios à Deo cogi quasi freno, vt maleficia concipiant, & moliantur.

III. Secundo, Quicunque iubet peccatum, is autor est peccati. At Deus ex Catholicorum sententia, iubet peccatum. Ergo Deus est autor peccati. Probatur maior: quia opus quodcunque, ex communi consensu omnium gentium, magis pertinet ad imperantem, quam ad exequentem. Probatur minor, quia Caluinus asserat loco proxime citato.

IV. Tertio, Quicunque vtitur instrumento, autor est primarius eius operis, quod ipse per instrumentum facit. At Deus vtitur impiis dum peccant, tanquam instrumentis, ex sententia Catholicorũ. Ergo Deus auctor est

est primarius omnium peccatorum, Minor patet ex assertione Caluini & Bezæ.

V. Respondeo, Bellarminum ludere pueriliter in nomine peccati, quod aute omnia distinguendum fuit. Id etsi iam ab initio nobis factum: tamen repete e non piget. Peccatum ergo nominatur, vel quatenus actionem significat, vel quatenus eius actionis qualitatem: id est, defectum; vnde fit, vt ea actio, non actio simpliciter dicatur, sed peccatum, id est, actio mala. Vt qui cantum dicit, non simpliciter vocem intelligit, sed vocem sic modulatam: & qui cursum, non motum, sed motum concitatissimum. Et qui blasphemiam, non sermonem, sed sermonem impium aduersus Deum. Quemadmodum igitur in cantu, cursu, blasphemia, concurrunt in vnum vox & modulatio; motus & concitatio: sermo & impietas: sic in peccato actio & defectus. Ac quemadmodum illa distincta sunt, habentque singula suam diuersam & rationem, & definitionem: alioquin nulla vox esset nisi cantus: nullus motus, nisi cursus: nullus sermo, nisi blasphemia: sic & hæc. Non est enim omnis actio peccatum. Notemus hæc distinctionis membra, sustitulis: &, si placet, appellemus peccatum sub ratione actionis, peccatum materialiter: & peccatum, sub ratione defectus, peccatum formaliter.

VI. His positis, dico non sequi ex Catholicorum doctrina, Deum esse autorem peccati formaliter: sed tantum esse authorem peccati materialiter. Vt cum scriba mouet calamum non bene aptatum; is autor est scripturæ praue materialiter; quia calamum mouet apte ad formandos characteres; quos à se ipso calamus nunquam formaret: ed non esse causam scripturæ praue formaliter; quia hæc prauitas est à calamo male aptato. Sic imperator militibus caussa est pugnæ ignauæ materialiter, quia iussit pugnare: at non formaliter, quia ipsi milites à se pugnarunt ignaue. Esse autem Deum autorem peccati materialiter, ipse Deus nos antea docuit in Absalomo, in Achabo & alibi.

VII. Autor autem peccati formaliter est ipse homo, qui actionem suam male vult, & male facit. vt calamus habens in se aptitudinem malam, causa est deprauatæ scriptionis: & milites ad mandatum imperatoris conferunt suam ignauiam: vnde quod imperator bene iussit, ipsi male exequuntur.

VIII. Tria igitur notanda. Primum, hominis diabolique naturam totam esse à se corruptam. Secundum, hominem malum & diabolum proponere sibi semper malum finem: Deum contra bonum. Tertio, Deo nullam esse legem positam. Nam hæc tria illustrant hoc argumentum. Si causa prima, causæ proximæ infunderet corruptionem; tum esset etiam causa peccati formaliter. At illud quum non sit, neque hoc. Quia autem ratio peccati tota est in voluntate: voluntas autem nunquam agit nisi proposito scopo; potest actio per se, nec bona, nec mala, fieri bona, proposito bono fine: & mala, proposito malo: vt dare panem esurienti; bonum est, si tantum ad esurientem pascendum: malum autem, si ad vanam gloriam. Omnis autem actio, materialiter indifferens est; quia bonitas & nequitia formalitatem significant. Itaque nihil mirum à Deo ad bonum ali quod bene fieri, quod ab homine male fit ad malum. Denique multa creaturis prohibentur, quæ Deo licita sunt: vt Roboamum regno spoliare, Deo fas erat: at non erat populo. Itaque Roboamum cum Deus priuauit imperio in decem tribus, iuste priuauit: at idem hoc ipsum decem illæ tribus nequiter fecere.

IX. Et tamen hæc tria Bellarmino non satisfaciunt. Contra primum obiicit, peccatum primum hominis & Sathanæ: quod ortum non habuit ex aliqua præexistente naturæ corruptione. Quæri tamen etiam in eo, cur mala fuerit voluntas ante naturæ deprauationem; Dei vero minime.

X. Sed Bellarmini peccatum hac parte, inde est, quod Catholicos putauit nihil aliud nisi sequentia peccata considerare, quæ sunt à præcedenti corruptione. At hoc falsum: omnia enim peccata considerant, etiam primum. Itaque dicunt hanc ipsam corruptionem, quæ facta est in primo peccato, esse à creatura, quæ tum primum se ipsa corrupit, non autem, à creatore corrupta est. Itaque etiam hic tam distincte consideranda voluntas Dei à voluntate hominis, quam in alio vllo peccato: nec minus iuste Deus voluit hominem edere de ligno scientiæ: homo autem male: quam Deus voluit iuste Roboamum excedere regno, Israelitæ autem nequiter. Quid tum autem, si corruptio nulla fuit præexistens? Dum fit coexistens, id est, eo ipso momento nata, cum primum homo peccauit? Neque enim Adami voluntas non æque vere peccauit, & à se ipsa peccauit, id est, defecit à lege, eodem momento, quo seipsam corrupit, quam Cain, quum iam corruptus à natiuitate fratrem occidit.

XI. Contra secundum obiicit illud Pauli, non esse facienda mala, vt eueniant bona, tertio ad Romanos: vnde conficit, bonam intentionem, & finem bonum animo conceptum, id efficere non posse. vt ea liceat facere, quæ per se & intrinsece ex obiecto mala sunt. Secundo, quærit, vtrum mala illa intentio sit à Deo, necne.

XII. At hæc obiectio iam ante soluta est breuiter: Nulla actio materialiter sumpta per se mala est: est enim à natura: ideo & à Deo. Sed & intentione mutatur plerumque: vt alias bona sit, alias mala. Cæterum intentio omnis est à Deo: sed est mala non à Deo, sed à creatura deficiente à creatore. Contra ille: Si Deus impellit ad peccata: & peccatum nullum sine mala intentione: ergo Deus impellit ad malam intentionem. At huius cõsequentiæ nulla vis est: nam oportuit concludi; ergo Deus impellit ad id quod non est sine mala intentione: quod verum est. Deinde Augustinus docet Deum agere in cordibus malorum, quod fieri non potest nisi impellat malam intentionem: id est, eam intentionem, quæ suo vitio mala est.

XIII. Contra tertium. Primo, etiam voluntatem Dei vrentis malo instrumento, esse legem eius instrumenti quam implere teneatur. Itaque sequi, tunc hominem præuaricari, & non præuaricari. Secundo, Deo suam sapientiam esse legem, cui non minus teneatur non repugnare, quam eius legi homines. Ergo si impellat homines ad ea quæ sapientiæ repugnant, erit eius mala voluntas. Tertio: Legem Deo nullam positam, sic intelligendũ, quia sponte sua, imo natura semper conformis est voluntas sapientiæ: non quod liceat Deo seipsum negare homines impellendo ad ea quæ repugnant æternæ legi.

XIV. Respondeo: Ad primum; nego hanc Dei voluntatem esse legem, quam teneatur instrumentum malum implere: sed potentiam, qua deducatur, & ordinetur ad implendum id quod decretum est à Deo. Quare hominem tantum esse præuaricatorem: quia nihil aliud velit, quam legem sibi à Deo impositam transgredi.

XV. Ad secundum: Nego Deum vnquam contradicere suæ sapientiæ; ne tum quidem cum malis instrumentis vtitur. Non enim aliud est voluntas, aliud sapientia in Deo. Itaque simul sapienter vult. Non ergo impellit quenquam ad id quod suæ sapientiæ repugnet: sed eum, qui eius sapientiæ repugnat, ducit, & ordinat ad implenda sapientiæ decreta.

XVI. Ad tertium: Dico Deo nullam legem esse positam: sic intelligendum, nullam ei legem extrinsecam esse impositam, cui sit obnoxius. Nam, si voluntatem dicas; assentiar: sed ea non est lex extrinseca. Imo proprie loquendo, nulla lex est, quum quicquid libet, licet. Itaque nunquam Deus repugnat suę sapientiæ: nunquam seipsum negare potest. Nunquam etiam quenquam impellere ad ea, quæ repugnant æternæ legi; sed homines impulsos ad ea quæ non repugnant æternæ legi, vt Israelitas ad deiiciendum Roboamum; ipsos repugnare legi sibi positæ, suo proprio vitio.

XVII. Iam contra distinctionem peccati in peccatum formaliter & peccatum materialiter Bellarminus obiicit. Non posse vllo modo fieri, vt homo Deo impellente faciat, quod lege Dei prohibitum est: & tamen Deus impellens autor sit operis, non criminis. Rationem addit: Quia crimen non sit, nisi patratio operis lege Dei prohibiti.

XVIII. Sed Bellarmino contradicit Augustino; qui docuit Deum operari in cordibus prauorum: contradicit Scholasticis; qui impelli malos docent ad entitatem operis, non ad corruptionem. Contradicit Scripturæ docenti hostes Israelis incitatos à Deo fuisse contra Israelem. Ratio autem est elumbis; quia, vt diximus, etiam in hominis effectis potest esse opus ab homine, operis qualitas ab instrumento. Cur non in prouidentiæ effectis?

XIX. His positis discussisque, facilis responsio ad tres primos syllogismos. In primo conceditur maior. Minor autem, si peccata nominat materialiter, vt oportuit, quia in maiori peccata nulla sunt, sed opera; conceditur totus syllogismus. Nam Deus sese autorem profitetur discessionis decem tribuum à regno Dauidis; quod tamẽ fuit peccatum: imo incestus Absalomi, quod tamen fuit grauissimum crimen. Et eo modo intelligendi sunt loci Caluini.

XX. Sin aũt intelligantur peccata formaliter, syllogismus fit ex quatuor terminis: & paralogismus παρὰ τὸ συμβεβηκός: vt quondam olim sophistæ concludebant carnes coctas emptas; quia essent coctæ comestæ: & eædem tamen quæ emptæ. Corrumpuntur autem, qui e Caluino recitantur loci laceri, luxatique.

XXI. Prior sic habet: *Si quos autem magis impediat, quod nunc dicimus, nullum esse Dei cum homine consensum, vbi hic iusto illius impulsu agit, quod sibi non licet: succurrat quod alibi admonet idem Augustinus: Quis non ad ista iudicia contremiscet? vbi etiam agit Deus in cordibus malorum quicquid vult, reddens eis tamen secundum eorum merita?* Hic diserte testatur Caluinus nullum esse Dei cum homine consensum; etsi homo agat eius impulsu: itaq; impulsum sine dubio alterintelligit, quam Bellarminus calumnietur: Nam peccatum formaliter est in voluntate. Itaq; assensus pertinet ad peccatum formaliter: impulsus autem ad peccatum materialiter. Quod si nullus est consensus Dei cum homine in peccato formaliter: ergo neq; hominem Deus impellit ad hoc.

XXII. Alter locus disertior: *Verum vbi in memoriam reuocant, diabolum totamq; impiorum cohortem, sic omnibus partibus, manu Dei, tanquam frano cohiberi, vt nec concipere vllum aduersus nos maleficium, neq; conceptum moliri, nec ad perpetrandum, si maxime moliantur, digitum mouere queant, nisi quantum ille permiserit, imo nisi quantum mandarit: nec compedibus tantum eius teneri ligatos, sed etiam ad obsequia præstanda, frano cogi, habent vnde se prolixe consolentur.* Hic mihi tu primum agnosce tuam calumniam, Bellarmine, qui scripseris à Caluino dictum impios à Deo cogi, quasi fræno, vt maleficia concipiant & moliantur. Quid simile? Nam fræni vocabulo bis vtitur Caluinus: primo, vt dicat cohiberi, vt ne concipere quidem valeant maleficium. Hoccine vero est cogi, vt maleficia concipiant? Imo hoc ipsum est, quod tu affirmabas Bellarmine, ca 13. Deum præsidere ipsis voluntatibus malis, easq; regere, & gubernare, torquere, flectere: in eis inuisibiliter operando, vt licet vitio proprio malæ sint: tamen diuina prouidentia ad vnum potius malum quam ad aliud ordinentur. Hoc tu qui dicis potes Caluini frænum improbare? Rursus dixit Caluinus impios ad obsequia præstanda fræno cogi. Quænam hæc calumniandi rabies, quæ pro obsequio maleficium substituit? Nam etsi re vera maleficiũ sit, quod impii concipiunt, moliuntur, conficiunt: tamen sensus est Caluini, eos cogi non ad maleficium, nam id sponte agunt: sed ad obsequium: hoc est, inuitis illis accidere omnipotente Dei voluntate, vt quæ maleficia concipiunt illi, vertantur in obsequium Dei. Quomodo nihil minus volebat Absalomus, quam castigare Dauidem ob scelus admissum in Vriam: & tamen Deus, quum vellet Dauidem castigare, effecit, vt Absalomus id effecerit, quod tamen moliebatur ad tyrannidem suam stabiliendam.

XXIII. In secundo syllogismo admittitur maior: quia iubere non est causæ summæ simpliciter: sed causæ moralis. At negatur minor. Non enim dicunt Catholici, Deum iubere peccata. Imo dicunt inuisibiliter operari in cordibus malorum. At iubere nõ est inuisibiliter operari. Si quis ita dixit: aut κακοζηλικῶς dixit, aut à blasphemia excusari nequit.

XXIV. In tertio, idem vitium est quod in primo: nam quum maior de operibus loquatur: tum minor assumit peccata. Itaque similiter respondeo: Si peccata intelligas formaliter: syllogismus fit ex quatuor terminis. Sin autem materialiter conceditur totus syllogismus. Nam certe Deus est autor primarius omnium operum, quæ impij faciunt quantumuis impie.

Cap. X.

A Catholicis non doceri Deum peccare.

I. SEcundum Bellarmini contra Catholicos argumentum: quia ex eorum doctrina consequitur, Deum non solum esse peccati autorem, sed etiam vere, & proprie peccare. Horrendam, Deus bone, blasphemiam! quam non Libertini tantum libere proferre non audent: sed vix etiam animo concipere Diaboli. Ab ea si immunis est Catholicorum doctrina, quam esse oportet desperatam illorum impudentiam, qui illos tanta calumnia onerant.

II. Calumniam fulcit duobus argumentis. Primo, Quæcunque causa particularis libera, aliquid agit repugnans legi, siue naturali, siue positiuæ, siue temporali, siue æternæ: ea vere ac proprie peccat. At Deus est causa particularis libera, agens aliquid repugnans legi. Ergo Deus vere & proprie peccat.

III. Maior probatur: Nam tria requiruntur, vt aliquis vere, ac proprie dici possit peccare. Primum; vt actio repugnet alicui legi: inde enim Patres definiunt peccatum, præuaricationem legis. Secundum; vt actionis causa sit libera: inde enim bruta, pueri, stulti, dormientes, non peccant. Tertium? vt ea causa sit particularis: ita vt actio talis sit in specie, quia à tali causa procedit. Quia enim causa vniuersalis indifferens est ad hanc, illamve actionem; non potest recte dici hanc actionem esse talem in specie, quia sit à causa vniuersali: sed tantum quia à causa particulari, quæ vniuersalem limitat, ac determinat. Itaque quoniam deformitas peccati consequitur actionem, vt est talis in specie, id est, peccatum: ergo non potest ea deformitas in causam vniuersalem, sed in particularem proprie referri.

IV. Minor autem probatur, quia Caluinus non negat Deum concurrere ad actiones, quæ cum æterna lege pugnent; non negat etiam libere ac secundum consilium voluntatis suæ omnia operari: vtrumque vere: sed insuper affirmet non vt causam vniuersalem concurrere, sed vt tales sint in specie velle ac imperare, & per instrumenta sua proprie efficere: esse igitur causam particularem, tum moralem, tum physicam Institutionis secundi capite quarto, §. secundo. *Omitto hic vniuersalem Dei motionem, vnde creaturæ omnes, vt sustinentur, ita efficaciam quidus agendi ducunt. De illa speciali actione tantum loquor, quæ in vnoquoque facinore apparet. Idem ergo facinus Deo, Sathanæ, homini assignari videmus non esse absurdum.* Et libri Primi capite decimo octauo, § secundo. *Certe nisi operaretur in cordibus hominum, non recte dictum esset auferre labium à veracibus.* Et rursus: *Dicitur etiam Sathan excæcare infidelium mentes: sed vnde hoc, nisi quod à Deo ipso manat efficacia erroris?* Sic Beza contra Castellionem aphorismo vigesimo secundo: Deum non solum excitare iustrumenta ad actiones illas, quæ malæ sunt & peccata, respectu instrumentorum: sed etiam excæcare ipsa instrumenta, id est, homines ad eum finem, vt actiones illas ab eo intentas & decretas iam inde ab æternitate perficiant.

V. Respondeo, argumentum laborare duplici homonymia. Prima est in lege: altera in causa particulari. Lex enim dicitur, vel generaliter, quæ cuicumque imposita est: vel specialiter, quæ illi de quo agitur. Si argumentum sit de lege specialiter: negatur minor: Quia Deus nihil agit contra vllam legem sibi impositam. Quum enim legem nullam habeat, præter voluntatem propriam siue sapientiam, nihil autem agat, præter eam voluntatem, eamque sapientiam: ergo nihil agit contra suam legem: ac proinde peccare non potest.

VI. Sin autem de lege vniuersaliter; negatur maior: nam ne inter homines quidem quisquam peccat, qui agit contra legem alij impositam. Sic non tantum in Romana Republica nemo peccabat felem occidens, quod apud Ægyptios erat capitale: sed etiam in eadem Republica, populo multæ constitutæ sunt leges, contra quas si Reges agant, nullo tenentur crimine. Sic enim prohibent quenquam pecunias exigere, quod ipsi tamen quotidie faciunt; imo non regnant, nisi faciant; & bellum mouere læsæ maiestatis crimen est subdito: Regis vero etiam officium. Quid in religione? Suillas carnes libere Christiani comedunt, à quibus abstinendum Iudæis erat. Ipsi Papistæ, quæ hic varie obseruant, si exequar, iusto sim prolixior. Negant licere à Sacerdote abstinere à calice: à quo laicos arcent. Negant licere Sacerdoti coniugem esse, quod nemini laicorum prohibent. Infinita sunt eiusmodi.

VII. Quid mirum, si Deus sit solutus iis legibus, quibus creatura implicatur? Hinc præceptum Abrahamo datum de occidendo proprio filio: contra legem, *Non occides.* Et rursus, mandatum Israeli is de spoliandis Ægyptiis: contra legem, *Non furaberis.* In quibus negari non potest Deus fuisse specialis causa, si non physica, certe moralis. Quid ergo? Per agentreum Papistæ parricidij, & furti? vt libet. At Catholici negabunt vllius peccati reum esse posse. Nam etsi prohibuerit nobis homicidium ac furtum: tamen sibi ipsi liberum esse vult dispensare tum vitam, tum bona hominum à se conditorum: adeo vt quicquid agat, non possit esse reus homicidij, reus furti.

VIII. Altera homonymia est in causa particulari: quam dum ita describit Bellarminus, vt sit à qua peccatum non tantum est, id est, habet entitatem suam: sed etiam est peccatum; hoc est, habet illum ipsum defectum: à quo ratio est peccati: quæ ille longissime abit à Caluino: qui tantum distinguit vniuersalem motionem à speciali, vt significet Deum ita rebus suis prouidere: vt non tantum vim quandam indiderit creaturis suis agendi: sed etiam vt eas agentes regat, & moueat per singulos actus. Quomodo sol ita est vniuersalis causa omnium seminum: vt tamen specialiter agat in singula semina: vt ne minimum quidem granum creetur nisi eo præsente agente: & musicus ita organum mouet, vt singulos concentus totidem pulsibus efficiat.

IX. Itaque rursus ad syllogismum: Si causa illa particularis intelligatur secundum Caluinum, negatur maior. Nam quemadmodum Musicus specialiter agit pulsando instrumentum: nec tamen ἀλογικὸν autor erit, si organum sit vitiosum. Et sol ita agit in producendis seminibus, vt tamen venena ipse non faciat. Sic Deus optime nouit sua infinita sapientia agere efficaciter in singulis actibus etiam malis: vt tamen à culpa sit alieniissimus.

X. Sin autem causa particularis intelligatur secundum Bellarminum, tum negatur assumptio. Etsi enim à Deo habet omne opus malum suam entitatem: tamen non habet defectum. Et sane nulla peccata Deus per se facit, sed per instrumenta. Hæc autem instrumenta necesse est aliquid agere. Nam si nihil, quorsum adhiberentur? Si agunt: ergo secundum qualitatem suam. Si ignita sunt, ignite: si frigida, frigide: si humida, humide: si dura, dure: si libera, libere: cur non etiam, si bona, bene: si mala, male? hoc dico quod alias dixi: quemadmodum mors vniuersæ carnis in diluuio fuit à Deo specialiter agente sed suffocatio ab vndis, quibus ille pro instrumentis vtebatur: & finis mundi ab eodem erit: sed conflagratio ab igne, qui adhibebitur: sic punitio Dauidis fuit a Deo efficacitet agente: sed incestum ab Absalomo instrumento: punitio Roboami à Deo, sed rebellio à decem tribubus. Itaque qualitas actionis non est à Deo: ac propterea neque Deus causa particularis, secundum Bellarmini definitionem.

XI. Superest, vt videamus, vtro sensu Caluinus & Beza sint loquuti. Fiat ex ipsis locis iudicium. Primus distinguit vniuersalem notionem, à speciali actione. Ita est sane: & quidem docens non agere Deum in peccatis per vniuersalem illam motionem, sed per specialem actionem: hæc ex ipso contextu patet. At quid tum? Adde enim sequentia. *Idem ergo facinus Deo, Sathanæ, homini assignari videmus non esse absurdum: sed varietas in fine & modo, facit, vt illic inculpata Dei iustitia reluceat; Sathanæ hominisque nequitia; cum suo opprobrio se prodat.* Audin' non iustitiã Dei tantum, sed inculpatam? At peccatum nullum inculpatum. Ergo Caluinus non credit Deum sic esse particularem causam, vt ab eo peccatum sit tale. Audin' rursus; Sathanæ & hominis nequitiam? At hæc peccatum: ergo credidit Caluinus Sathanam & hominem esse particularem causam peccati sensu Bellarmiano. Præterea docet non tantum finem sed etiam modum agendi distingui: hoc est, non tantum Deo alium finem esse, quam Sathanæ & homini: sed etiam alium modum agendi. At certe modus agendi pertinet ad qualitatem actionis. Perspicuum est autem Caluinum concedere Sathanam & hominem peccare: Ergo necesse est Sathanæ & homini assignari modum actionis, quo fit peccatum: qui si alienus est à modo Dei: ergo Deo non tribuitur causa illa Bellarmini particularis. Do simile: Quum serra vtitur faber, vnum idemque opus fit a fabro & serra: sed in agendo alius est fabri modus; alius serræ. Ille recipro cando; hæc rodendo. Et est tamen fabri motus non vniuersalis, quasi cum primum impulerit serram, tum eam sibi permittat: sed specialis, adeo vt tamdiu illum oporteat motum reciprocare, quamdiu opus non est perfectum. Sed serratura tamen proprie serræ est & non fabri; nam si idem eadem reciprocatione limam agitet, serratura nulla erit, sed limatura. Omnino similiter: speciali motione Absalomum Deus impulit: & tamen Absalomi incestus fuit. At cum itidem speciali motione Iosephum impulit, non incestus fuit, sed castitas.

XII. In reliquis Caluini locis, quid est quod reprehendat? An quod operatur Deus in cordibus? Magnum Theologum! qui nescit ea ipsa verba Augustini: Sed agit in cordibus, ergo est causa particularis. Falsum: nam agit faber in serra, & non est particularis causa serraturæ. An quod à Deo manet efficacia erroris? Mirum ni Paulo dicam scribat: nam is eius est error, si error est: atque adeo non aliunde Caluinus sumpsit. Sed etsi efficacia erroris manet à Deo, non tamen error ipse, ac proinde non est erroris causa particularis Bellarminiana.

XIII. Sed argutatur: ergo, sicut in conuersione peccatoris Deus est, qui proprie illuminat, & conuertit: Ita in peruersione iusti, Deus is erit, qui proprie seducet, ac peruertet. Apage tantam insaniã. Quasi vero æque errorem immittat Deus, vt efficaciam erroris. Nam in conuersione peccatoris: vtrumque sane: hoc est, non efficaciam tantum luminis, sed etiam ipsum lumen subministrat à seipso. Itaque inter hæc comparata non est ἀναλογία. Ideoque nulla vis consequentiæ.

XIV. Nec abscedit a suo Caluino Beza: cuius hæc verba: *Sic autem agit per illa instrumenta; vt non tantum sinat illa agere: nec tantum moderetur euentum: sed etiam excitet, impellat, moueat, regat; atque adeo, quod omnium est maximum, etiam creet, vt per illa agat, quod constituit: qua omnia nihil facit Deus, & sine vlla iniustitia.* Quid hæc habent quod accedat ad illam particularem causam Bellarmini? Manifestum est, inquit calumniator, actiones malas, vt tales sunt in specie, à Deo esse intentas; & ipsi, vt veræ & propriæ, ac principali causæ, esse tribuendas. Imo manifestum est, hunc sycophantam esse, scilicet ille nobis Bezæ doctrinam, ipso Beza melius insinuabit: qui quidem ἀλαφρόθυμα βοῦς omnia Deum facere recte, & sine vlla iniustitia.

XV. Hoc erat primum argumentum Alterum, si Deus est vere ac proprie autor peccatorum, quæ à nobis fiunt: ergo Deus vere ac proprie peccat. At ex Catholicorum sententia, Deus est vere ac proprie autor peccatorum, quæ à nobis fiunt Ergo, ex eorundem sententia, Deus vere ac proprie peccat.

XVI. Respondeo; Peccatorum materialiter, aut peccatorum formaliter: formaliter negatur assumptum: vt semper: quia in eo non potest non esse impudentissima calumnia. Materialiter negatur consequentia. Nam quæ causa est, vt sol non polluatur à cadauere ex quo fœtorem elicit: & polluatur Deus ex hominum peccato, ex quo suauissimum suæ iustitiæ odorem extorquet?

XVII. Sed hanc similitudinem à sole Bellarminus ferre non potest. Quam Caluinus his verbis concipit §. 5. c. 17 in lib. 1 Instit. *Vnde quæso fœtor in cadauere, quod calore solis tum putrefactum, tum reseratum fuerit? Radiis solis excitari omnes vident: nemo tamen illos fœtere ideo dicet. Ita quum in homine malo subsideat mali materia & culpa, quid est quod inquinamentum aliquod cõtrahere putetur Deus, si ad suũ arbitrii vtatur eius ministerio.*

XVIII. Non valet simil tudo, inquit Bellarminus, vt ostendat Deum non peccare, licet sit causa cur alij peccent. Os impurum! At qui id nunquam Caluinus cogitauit. Tantum enim hac comparatione docet, ita per impios operari Deum, vt non polluatur eorum peccato.

XIX.

XIX. At pergit: & hanc similitudinem obseruat tribus rebus peccare. Primum, quia cadauer ante actionem solis est cadauer. At Deus affirmatur excitasse peccatum in voluntate primi hominis, quum adhuc esset integra. Secundo, sol est causa vniuersalis: Itaq; fœtor est ex cadauere, non ex sole. At Caluino Deus est causa particularis. Tertio: Sol non agit libera voluntate neque per actionem immanentem, sed transeuntem in aliud: itaque non posset corrumpi excitans fœtorem: atqui libera voluntate facit alium peccare: is etiam continuo peccat: nam ipsa voluntas, qua alium vult peccare, in ipso est.

XX. At sunt hæc nihili. Nam diserte Caluinus in homine subsidere mali materiam docet, quomodo incadauere fœtoris. Itaque hactenus similitudo est. In primo autem excitasse peccatum, Caluinus non dixit: etsi dixerit hoc ipsum non sine prouidentia euenisse, vt neque reliqua deinceps: sed de peccato formaliter, non sic loqui didicit. Ad secundum: sol quidem est prima, & vniuersalis: sed tamen efficaciter agens, & proxime mouens cadauer ad fœtorem: & sic Deus hominem ad peccatum: & quomodo fœtor à cadauere est, nō à sole mouente: sic peccatum ab homine, non à Deo. Nam illud de caussa particulari, iam explicatum est. Ad tertium: sol non agit libera voluntate: sed neque fœtor peccatum est: At nihilominus similiter Deus libere agit in homines peccantes, quomodo sol in cadauer fœtens: falsum autem eum qui libera voluntate facit alium peccare, materialiter ipsum peccare, vt iam exposuimus.

CAP. XI.

An Catholici statuant Deum solum vere peccare.

I. TErtium Bellarmini contra Catholicos argumentum, quia consequitur ex eorum doctrina: Deum ita peccare, vt homines à peccato iudicari debeant immunes. Probat, qua de Adamo, qua de reliquis.

II. De Adamo. Nemo peccat in eo, quod vitare non potest. At primi parentes in statu innocentiæ, malas actiones vitare non potuerunt. Igitur primi parentes nostri non peccauerunt.

III. Probatur maior: Omne peccatum est voluntarium. At quicquid vitari non potest, est inuoluntarium. Ergo, quod vitari non potest, non est peccatum. Probatur maior ex Augustino de vera Religione capite decimo quarto, negante peccatum esse, quod non sit voluntarium.

IV. Probatur minor: Caluinus libr. 3. Institutionis cap. 23. § 7. *Inficiari nemo potest, quin præsciuerit Deus, quem exitum esset habiturus homo, antequā ipsum conderet: & ideo præsciuerit, quia decreto suo sic ordinauerat.* Docet igitur Deum ex sua sola voluntate, antequam determinationem liberi arbitrij primi hominis præuideret, decreuisse hominis lapsum. Ergo non potuit primus homo non peccare, quia voluntati Dei resistere nemo potest. Idem §. 9 non negat hominem necessario peccare, tantum inexcusabilem dicit, quia Deo sua constat ratio, cur homini peccandi necessitatem iniecerit. Et libro de æterna Dei Prædestinatione. *Ad iustam hominū condemnationem satis erat, in via salutis quum esset collocatus, inde sponte excidisse. At fieri aliter non potuit? Quid tum an ideo culpa liberatur, qua tota in eius voluntate residet?* Beza contra Castellionem. *Quærenda est vitij origo in instrumentorū spontaneo motu, quo fit vt Deus iuste decreuerit, quod illi iniuste fecerunt. At enim dices, non potuerunt resistere Dei voluntati. Fateor: sed sicut non potuerunt, ita etiam voluerunt. Verum non poterant aliter velle. Fateor, quo ad euentum & ἐνεργείαν: sed voluntas tamen Adami coacta non fuit.*

V. Respondeo primi syllogismi negari maiorem. Nam originale vitari non potest: At originale est peccatum. Ergo aliquod peccatum vitari non potest: ac proinde aliquid quod vitari non potest, est peccatum. Præterea, quicquid necessario euenit, est ineuitabile. At scandala necessario eueniunt, Matthæi decimo octauo. Ergo scandala vitari non possunt. Sunt autem scandala peccata: ergo quædam peccata vitari non possunt. Tertio: Quicquid necessarium est, est ineuitabile. At diaboli peccatum est necessarium: nam alias possent esse boni: ergo diabolis peccatum est ineuitabile. Et tamen peccatum. Itaque non est de ratione peccati, vt non sit ineuitabile.

VI. In probatione maioris negatur minor. Nam omne peccatum est voluntarium: at peccatum originis vitari non potest. Ergo aliquid quod vitari non potest, est voluntarium. Sic scandala vitari non possunt. Sic diaboli sua peccata vitare non possunt. Itaque hanc partem Bellarminus confirmare debuit. Nam peccatum esse voluntarium, quid erat necesse disputare? nemo enim negat.

VII. Instat Bellarminus: ab Augustino, sic dici peccatum voluntarium, vt opponatur necessario. Negant hominem teneri crimine, si necessitate peccasset, in de vera religione, ca. 14. Et in de correptione & gratia, ca. 11. docet hominiā Deo datum adiutorium, vt posset permanere, si voluisset, quod adiutorium: *Si*, inquit, *vel homini quam primum facti sunt defuisset, quoniam mortalis natura facta erat, vt sine diuino adiutorio posset manere si vellet non vtique sua culpa cecidissent.*

VIII. Respondeo, necessitatem duplici notione vsurpari, vel vt significet certitudinem euentus, ita vt successus falli non possit. Et hanc necessitatem omnino esse agnoscendam in omnibus, quæ præuidet Deus ac decernit. *Sic necesse est euenire offendicula* Matthæi 18. *Sic mutato Sacerdotio necesse est, vt fiat mutatio legis*, ad Hebræos 7. *Fieri non potest, quin eueniant scandala*: Lucæ 17. *impossibile erat Christum à morte teneri*, Actorum 2. *Impossibile est, vt qui semel fuerint illustrati si prolabantur, denuo renouētur*, ad Hebræos 6. Hæc eadem necessitas, non semper voluntatem perimit. Nā Deus ita voluntate bonus est, vt necessario bonus sit, id est non possit esse malus. Et diaboli post lapsum ita mali, vt nō possint fieri boni. Quinpotius sæpe hæc necessitas voluntatem mouet. *Omnem Pontificem* (ad Hebr 8.) *necesse erat habere quod offerret.* Et Lucæ 22. *Venit dies azymorum in quo necesse erat occidi Pascha.* Quia hac necessitate fiebat, vt tum Pontifices voluntarie munera acciperent, quæ offerrent: & Iudæi ea die immolarent agnū Paschalem. Sic Paulum oportuit Romæ testificari Actorum 23. quod tamen sua voluntate fecit.

IX. Alterum est necessitatis genus: quam coactionem hodie vocare solent, quæ voluntati ex diametro opponitur: ac significat, quum quis absque vllo voluntatis suæ motu, ab externa aliqua caussa violenter impellitur; id est, cogitur ad agendum: vt omnino faciat id quod non vult: siue ne cogitans quidem, vt quum ex improuiso in periculum incidit: siue cogitans quidem, sed inuitus, & reluctante saltem voluntate: vt quumolim Christiani cogebantur thus incendere ad altare: nostro etiam seculo, non pauci Catholici delati sunt ad missam: alij metu præsentis carnificinæ eodem præcipitati, quam tamen spiritus ardore detestabantur.

X. Horum duorum necessitatis generum, prius nego aduersari peccato. Nam si non obstet voluntati, certe peccatum, cuius ratio est in voluntate, non potest ei opponi. Etsi enim ille relapsus in epistola ad Hebræos non possit renouari, hoc est ad pœnitentiam redire, tamen non tantum in relabendo peccat, sed etiam in iis quæ post lapsum facit male.

XI. At alterum aduersatur peccato. Quanquam, ne hoc quidem semper. Nam quandiu supereſt optionis aliquid, tandiu locus potest esse peccato. Sic olim thurificati illi non excusabantur; propter vim præsentem, quæ violenter illos inflexerat, ad communicandum Idololatriæ. Quamobrem? quia supererat electio, moriendum potius, quam thus incendendum: sola igitur coactio contradicit peccato, quæ nullum omnino locum relinquit voluntati: neque præcedenti: neque concomitanti.

XII. Iam Augustinum dico intelligendum de coactione. Probo. Primo, quia idipsum caput ex libro de Vera Religione, vnde sua Bellarminus excerpsit, ita inchoatur: *Defectus iste, qui peccatum vocatur: si tanquam febris inuitum occuparet, recte iniusta pœna videretur.* Certe febris est in posteriore necessitatis genere; hanc ergo Augustinus intellexit peccato esse contrariam.

XIII. Deinde idipsum docetur ex eo, quod & peccatum dicitur voluntarium; & voluntas opponitur necessitati. Eodem loco. *Vsque adeo peccatum voluntarium est malum, vt nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium. Et hoc quidem sic manifestum est, vt nulla hinc doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat.* Et paulo post. *Si non voluntate malefacimus, nemo obiurgandus est omnino, aut monendus.* Ista sic opponunt voluntatem & necessitatem, vt pro eodem vsurpentur, non voluntate peccare, & necessitate peccare. Sic in libro de incarnatione verbi (etsi is non videtur Augustini) cap. 2. *Consequens est intelligere non nos necessitati esse subiectos, vt omnino etiam si nolimus, vel bona, vel mala agere cogamur.*

XIV. Vrget Bellarminus: ab Augustino opponi voluntatem necessitati, non coactioni. At hic lusus est vocabulorū ineptus. Augustini tempore nondum erat natum coactionis vocabulum: neque eo vtitur vnquam Augustinus: sed ij tantum qui aliquot seculis postea in scholis docentes, necessitatis ambiguitatem viderunt esse vitandam: itaque pro coactione tum temporis necessitas vsurpabatur. Quid attinet autem λογομαχεῖν? Quum constet & necessitatem alias opponi voluntati, alias non opponi: & Augustinum necessitatem opponere voluntati?

XV. Iam vero Caluinus & Beza virum necessitatis genius intelligant, facile est videre. Nam qui illam non concipit in eorum verbis, quæ voluntati non opponitur, quid ingenij? imo quid oculorum dicam habere? Non enim ratiocinatione opus est ad eliciendum consequentias: Sed oculis ad nuncupandum syllabas. An non sunt hæc perspicua? Caluini. *At fieri aliter non potuit. Quid tum? an ideo culpa liberatur, qua tota in eius voluntate residet?* ergo & necessitatem? & voluntatem concurrere statuit Caluinus. Quid Beza? *Quærenda est vitij origo in instrumentorum spontaneo motu.* Audin' spontaneum, id est voluntarium? Quid? ad eos qui obiiciebant, Adamum non potuisse aliter velle, quomodo respondet? *fateor*, inquit, *quo ad euentum, & ἐνεργείαν: sed voluntas tamen Adami coacta non fuit.*

XVI. Instat Bellarminus. Non potest responderi, inquit, eosdem, qui vitare peccatum non possunt, vere peccare, quia volunt peccare. Ratio: quia non possunt non velle: nam, si possent non velle: possent etiam non peccare; quum in voluntate peccatum sit, formo syllogismum: Nemo qui non potest non velle peccare, peccat. At qui peccat volens, quum non possit vitare peccatum, is non potest non velle. Ergo qui peccat volens, quum non possit vitare peccatum, non peccat.

XVII. Sed negatur maior: quia illud non posse vitare, iam expositum est de necessitate euentus; non autem de coactione: atque adeo ita necesse est: alioquin esset implicatio contradictionis in terminis syllogismi. Nam, si non posset vitare propter coactionem: ergo non peccaret volens. Qui igitur peccat volens, hac necessitate euentus is vere peccat: quia peccat volens: & nullo modo coactus.

XVIII. Atque hactenus de Adamo. De reliquis. Si Adamus non peccauit, quia vitare peccatum non potuit: ergo neque post Adamum reliqui. Probatur consequentia. Nam si Adamus vitare non potuit, multo minus reliqui. Probatur consequentia: quia Adamus habebat gratiam & liberum arbitrium. At reliqui post peccatum ex Catholicorum sententia carent gratia Dei & libero arbitrio.

XIX. Respondeo; nodum hunc esse facilem ex præcedentibus. Nam antecedens supponitur falsum, nempe Adamum non peccasse: illud etiam calumnioſum, priuari homines libero arbitrio post peccatum.

Sed hac de re disputatio erit propria proximo tomo, si Deus dederit.

CAP. XII.

An ex Catholicorum doctrina sequatur nihil esse peccatum.

I. POstremum argumentum Bellarmini: quia ex Catholicorum doctrina sequatur peccatum nihil esse, nisi falsam opinionem. Quod est absurdum. Nam si semel tollatur discrimen boni & mali, continuo fides ac religio tolletur è medio; & omnis politica gubernatio penitus interibit.

II. Probatur id consequi. Nam si blasphemum & Christianis autibus intolerandum videtur, Deum peccati esse autorem, & solum ipsum vere peccare: nihil aliud restat, nisi nullum esse, neque vnquam fuisse peccatum. Probatur consequentia. Quia si est peccatum: ergo, vel Deus peccat, vel homo. At non Deus. Nam summum bonum nihil potest mali facere. Non etiam homo. Nam quicquid agat, Deo iubente, impellente, atque adeo necessitatem inferente, facit. Ergo nemo peccat. Si peccat nemo, nullum est peccatum. Quæ doctrina est Libertinorum; in quam serio Bellarminus inuehitur.

III. En τὸ κακογλὲς Papistarum! En τὴν συκοφαντίαν Iesuitarum! Adeo illis nihil est pensi, dum maledicant Catholicis. At Caluinus Libertinos compescuit: & compescuit hoc ipso obiecto absurdo, quo nunc videri vult Bellarminus triumphare, capite decimo tertio: sic legas, si legas. *Hoc concesso* (nempe, Deum ipsum facere quæcumque facimus, quod Quintinus asserebat) *imputandum esset Deo peccatum, aut concludendum nullum in mundo peccatum fieri: cum nihil sit, quod non fiat à Deo. Sic omne boni & mali discrimen tollitur: Vnde sequetur, nobis non licere aliquid vt malum vituperare, cum omnia sint opera Dei.* Et postea. *Notandum ex hoc articulo tria admodum execranda consequi. Quorum primum est, hoc concesso, nullum inter Deum & diabolum discrimen fore. Alterum, quod homines nulla amplius ad vitandum malum conscientia mouebuntur. Tertium, quod nemo iam audebit de re aliqua iudicare. Sed omnia probanda erunt.*

IV. Sic ille vir vere magnus & sanctus Libertinos compescuit. Atque ei tantam gloriam inuidere possunt quidem diaboli: inuidere Papistæ: inuidere Iesuitæ: sed certe detrahere non possunt; quantumuis inuidia illis ilia rumpantur: qu b. stertentibus: quanquam, heu, non stertentibus, sed attentissime vigilantibus, laniandis Catholicis: sed illis tamen, siue stertentibus, siue laniantib. Catholicos, Caluinus solus Libertinorũ immanissimam pestem compescuit. Et tu quidem, Caluine, post eos domitos; post Seruetianos extinctos, post Gentiles, Blandratas, Mennones, Socinos conculcatos: post Papistas, & Vbiquitarios tam potenter profligatos, vt colligere vires nequeã; agis tuos in cœlo triumphos: imo actus es in cœlum tuis pro Christo, & veritate triumphis: lucens vt stella, quia multos docuisti, qui tibi per Italiam, Hispaniam, Galliam, Germaniam, Belgium, Angliam, Scotiam, referunt acceptam veritatis agnitionem.

V. Beza Caluini Elizæus, post erectum in Possiaceno Colloquio, in ipsis sui Ministeri primis rudimentis, immortale trophæũ de victis veritatis hostibus: post innumeros ab iis initiis exantlatos pro fide Catholica labores: post magnam & eruditionis & pietatis laudem multis annis integre conseruatam ipse etiam fœliciter migrauit ad Dominum, his ipsis diebus, quum hæc scribebamus, tum veritatis aduersum lattatus Papisticos asserendæ gratia: tum ad magnorum virorum nomen, ab impudentissimis rab osorum canum calumniis vindicandum. Nec tam profecto personarum amore quam ipsius veritatis. Est enim vtrique, tum Caluino, tum Bezæ cum veritate caussa communis: imo nulla caussa nisi veritatis. Hanc à Papatus immanissima tyrannide, fortiter, intrepide, constanter tutatam illi dolent, in quos valuit ἡ ἐκ πλαύης ἐνίεσθαι. Viuunt vere felices animæ: viuunt apud Deum testem. Et testem dico? imo vindicem pietatis suæ. Ad quem Beza, suo certe tempore, migrauit plenus laude apud viros bonos: annis etiam satiatus. Sed, qui bonorum est in bonos affectus, non absque lachrymis charitatis, quibus abeuntem ad sua prosequuti sunt omnes, quibus religio cordi est: quibus hæreses odio.

VI. Mirum vero, si qui genius nobis Lutheros, Caluinos, & Buzeros, morientes finxit pro arbitrio; non etiamde Beza fingat somnia noua. Et qui poterunt non mentiri de eius placidissima, vereque Christiana morte, quibus tam fuit exosa vita? illi, inquam, qui ante hanc diem, ipsi quidem optatam: Vidi enim, vidi ipse paucis ante obitum annis iam nihil ferme præter cælos meditantem, & tertio quoque verbo ad cœlos suspirantem: sed ante hanc diem, ipsi exoptatam, nobis, pro humanitatis modulo, tristem, sæpe finxerunt, & in pulpitis publice per totam Galliam prædicarunt, eiurata Christi veritate, ad Papismum, tanquam ad vomitum, esse reuolutum. Sed quæant, inueniant, fingant, quidliber pro arbitrio, vt illis nunquam desint Staphyli, nunquam Bolsec; eiusque farinæ homines. Quid tum? Certe neque turbabitur secura in Domino quies: neque obscurabitur sole purior laus in Ecclesia.

VII. Obiit die Dominica Prid. id. Octob. anno Christianæ salutis quinto supra mille & sexcentos: qua eadem die sol defectum passus. Vnde hæc nostra ἐπινίκια carmina, grati in præceptorem animi monumenta.

Defecere duo Beza & Sol lumina terris,
Lumina sed constant, Sol sibi, Beza sibi.

Ἄλλο.

Μήπ με σὺκ ἐπαθες καινὸν Θεόδωρε, βροτὸς γ' ὢν.
Καινὸν δ' αὐθήμαρ σύμπαθεν ἠέλιος.
Ὢ τῆς ξωτυχίης, Βηζᾶ παθε κἠπάθε φοίβος;
Ἀμφὼ μοιρῳ ὅμως ἠσοτάκης μόρε.
Ξύμπαθεν ἠέλιος σοι δὴ Θεόδωρε, θανόντι;
Ἀλλὰ πάλαι Χριστῷ ξύμπαθεν ἠέλιος.
Τῆς ξυμμορφίας; κεφαλὴ παθε καὶ πάθε κῶλον.
Κῶλον κὴ κεφαλῇ ξύμπαθεν ἠέλιος.
Κ' ἀτ' σὺκ ἐς' αὐαζῶ Θεοδώρῳ; Ναὶ μάλα, εἰγὲ
Ἠέλιος τ' αἰίζη Χριστος αἴαξ πάντ' ἰδών.
Οὐκ ἔθαν' ἠέλιος παθων πάθων δ' ἅμα Χριστῷ
Οὐκ ἔθανεν παθων Χριστος ἁμ' ἠελίῳ.
Χαίρετε δὴ πάντες Βηζᾶ ξυμφερόμενες. ἔτος
Χριστῷ χ' ἠελίῳ ξύμπαθεν σὺκ ἔθανε.

VIII. Redeo ad Bellarminum, meo sic functus vtcumque in præceptorem optimum, à Sycophantis impie laceratum, officio. Argumenti Bellarminiani hæc vis est: Aut Deus non est autor peccati, aut nullum est peccatum: At non est Deus autor peccati. Ergo nullum est peccatum. Negatur propositio. Nam tum ex veritatis, tum ex Catholicorum doctrina vtrumque verum: & Deum non esse autorem peccati, & esse peccatum. Itaque detonet audacter contra Libertinos: dummodo meminerit se aut nondum nato, aut certe non ita pr dem nato, Libertinos à Caluino conuictos: & Catholicis acriores nullos esse Libertinorum hostes. Ac sane, quinam ad eos accedunt propius? Catholicine, qui omne peccatum sua natura mortale pronunciant: an Papistæ qui magnam partem voluntesse venialia, an venalia? Nam, quod Caluini prolem Libertinos dicit, canis est lattatus impud ntissimi, non hominis sani testimonium.

IX. Pergit: Aut Deus peccat, aut homo. Recte. At non peccat Deus. Optime. Non peccat etiam homo. Pessime. Vnde enim conficitur? Quia Deo iubente, impellente, necessitatem inferente. Quo sensu? Quanquam non est necesse eandem telam texere Iam curatum, Iam conf ctum negotium fu.t.

FINIS LIBRI TERTII.

LIBER